Al Ch.mo Sig. Cav. Luigi Passerini
per ricordo di molta riconoscenza, e stima

Camerino 1862. P. P. Lisdrani

PETRI PAULI LIVIRANI

PATRICII FAVENTINI

ADVOCATI URBANI

ODÆ



BONONIAE. EX OFFICINA SAXIANA.

MDCCCXLVII.

Qui legis, auctor te monitum vult, odas, quo ordine conditae, in hoc libello digestas esse, quaeque ex iis ad profana argumenta attinent, pro antiquis ut plurimum fictas varietatis et exercitationis caussa: ideo ne mireris si qua offendas, quae rationi temporum nostrorum minus consentanea et veterum poetarum vel licentiam vel commenta redolere videantur.

LIBER I.

I.

Quid Deo par? Quid simile aut secundum?
Tu Deo sacrum modulare carmen,
Musa: Lesboas age tange laevi
Pectine chordas.
Quidquid est, illo viget et movetur:
Iam chao innabant vaga forte rerum
Semina; intendit digitum, igneusque
Mox micat aether,
Terra concrevit, liquidique late
Aëris tractus patuere, tunc et
Vitreus primum sonuit fluentis
Humor aquäi.
Flammeum solem statuit, gravique
Dexterâ circum per inane caeli
Siderum magnos numero carentûm
Impulit orbes.

Jussit; intactae scatuit ferarum
Vasta telluris facies, per aequor
Innatat mutum pecus, et volucres
Aëra mulcent
Cantibus plauduntque levi volatu.
Est tuum, rerum Sator alme, quod nos
Vescimur caelo fruimurque dulci
Munere lucis.
Italos per te beat aura mitis,
Muniunt alpes, et utrinque frugum
Uberes campos pelagus refusis
Alluit undis.
Propria hìc Musis Sophiaeque sedes;
Artium hìc priscum decus, et colores
Illiti telis Pariumque marmor
Aeraque spirant.
Italûm tu res tueare dextro
Numine, ac molli fera corda et iras,
Junge diversos animos, resurgat
Conscia virtus.
Fronde pax crines redimita olivae
Et comes pacis hilaret beatas
Faustitas gentes et amica largo
Copia cornu.
Hinc procul saevi tonet ira Martis;
Impias ultra Tanaim nivalem
Fulminans urbes quatiat tremendâ
Cuspide et arces.

Si pio laudes modulamur ore
Supplices sanctis tibi rite templis,
Rite si castis adolemus aris
Thurea dona,
Despice hos colles et amoena Tempe,
Quà cubat Brasgela humilis, virorum
Laude jam florens studiisque quondam
Aspera belli,
Quà sonat labens Anemo, tuoque
Munere et frondent sylũae et renident
Pascuis montes oleīsque colles
Arvaque laetis
Frugibus. Myrti en foliis olentes
Per vias late tua pompa lento
Agmine incedit; populi sequacis
Aestuat unda.
En senes tensis juvenesque palmis,
Virgines castae et pueri nurusque:
Dexter o adsīs placidusque, et audi
Vota precantûm.
Excipe et leni bonus aure carmen,
Nostra quod nullà rude finxit arte
Ausa Dircaeos modo Musa primum
Tendere nervos.

II.

Te decet sacro resonare plectro,
Dive, Gargani dominator alti,
Agminum ductor superûm, Deique
Magne minister.

Ampla sed laudum seges inchoantem
Terret: an fortis decora alta dextrae,
An giganteos tenuis loquatur
Musa triumphos?

Hinc stetit sacro jaculatus ausu
Multa, et informes Erebi phalanges
Horridas hastis super atra pandit
Nubila Pluton.

Hinc tuae densis humeris cohortes
Aere florentes: super ipse cunctos
Emines (quantus caput inter astra
Evehit Atlas).

Aureum laevi galeâ capillum,
Integro celans adamante pectus.
Jam micant vexilla, velut minacis
Flamma cometae;
Jam tubae horrendum cecinere: clamor
Altus et caedes oriturque luctus;
Pallida ingentem tremuere late
Astra tumultum.
Magne, quis sumptis tibi certet armis?
Impiae cedunt acies, et audax
Ipse dux, seroque humilis premenda
Dat pede colla;
Dum fremens tetrum vomit ore virus,
Tu super, stricto metuendus ense,
Enites qualis roseo renidens
Lucifer ortu.
Subter infernam fera monstra noctem
Atque torrentes pice trudis amnes;
Mox tuis septus remeas olympum
Numinis ultor.
Dum redis figisque trophaea victor,
Undique assurgunt, et, io triumphe,
Concinunt Divi: fremitu resultant
Aurea templa.
Ditis o terror Stygiaeque pubis,
Sancte, seu spretis Erebi evagantem
Finibus dias temere in superni
Luminis oras,

Ense pallentem redigas sub orcum;
Seu pias serâ, sine fraude judex,
Lance suspendas animas et aequus
Fata ministres:
Sedibus caeli quoties sonante
Laberis pennâ, famulantur Euri,
Contremit tellus, maris aestuosi
Contremit unda.
Cuspidem intorques; Jerichus superbae
Concidunt turres, Pharaonis iras
Et graves currus equitumque turmas
Obruit aequor.
Caelitum princeps metuende, salve,
Gentis et nostrae pater atque custos;
Salve, et hos colles videas ab alto
Aequus et arces,
Atque Brasgelae tueare nomen.
Te boni proles animosa Naldi,
Miles et consors, Veneti secutus
Signa leonis,
Auspicem sensit per acuta belli;
Queis decus partum patriae, Italûmque
Fama mox surgens peditum secundis
Claruit armis.
Rite bellorum proavi potentem,
Dive, te structis coluere templis;
Rite te grati colimus Sabaeo
Thure nepotes.

En vacant cives tibi feriati;
Et fori clamor rigidaeque serrae
Stridor incudesque silent, et uncum
Cessat aratrum.
Ridet argento resonatque cantu et
Tibiis templum, redolent acerrae,
Dum facit castus tibi rite purâ in
Veste sacerdos;
Et preces tensis pia turba palmis
Fundimus: praesens faveas, et idem
Civium mitis rata fac bonique
Vota coloni.
Afferat felix levis aura carmen
Quo tibi summo propior Tonanti
Contigit sedes soliumque gemmis
Ardet et auro.

III.

Jam comae sylvis rediere, prata
Floribus rident Zephyro tepente:
Spes novas almus per aprica rura
Educat annus.
Diva, lustrantûm segetes amica
Annuas votis, videasque praesens
Culta, quae velox Anemo sonante
Flumine mordet.
Prosperes laetos, Dea magna, foetus;
Neve rubigo sterilis vel Austri
Pestilens flamen noceatve acuto
Sirius igne.
Nutriant aurae pluviique rores,
Atque sol aequus foveat, neque uvis
Mitis autumnus careat neque aestas
Torrida aristis.

Mugiant atrae procul hinc procellae;
Horridos vexet Jovis ira saltus
Ilices frangens, super et nivales
Detonet alpes;
Nec miser diris sata laesa nimbis
Cultor, effusos laniante crines
Conjuge, heu! ploret neque verberatas
Grandine vites.
Tu potes saevum Boreae furorem
Atque luctantûm cohibere fratrum
Cum libet; nigrum placido serenas
Aethera vultu,
Et truces undae pelago recumbunt:
Caerulum nautae volitant per aequor,
Quod minax nuper feriit superbâ
Sidera fronte.
Supplices audi, subeatque, Virgo,
Prisca nostrorum pietas parentum,
Quae tibi templum posuit supini
Collis in arce;
Cui caput gaudent teretes cupressi et
Obviae ventis redimire quercus,
Solque depulsis tenebris colorat
Lumine primo.

IV.

Favete linguis. Me juvat inclyti
Signum triumphi, quod Stygias domos
Perrupit ac praedam revexit,
Non humili celebrare cantu.
O Arbor almo rorida sanguine
Regis superni, te colimus pii,
Donisque votivis renidens
Thure sacro vetus ara fumat.
Tu nempe cedris una beatior,
Quotquot nivalis per Libani juga
Clari tulit Jordanis altrix
Sylva vagis agitata ventis.
Tu rite sancto nobilior rubo,
Cui, Numen aureâ dum trepidum acciit
De nube Pastorem, pepercit
Innocuo pia flamma lapsu.

Decedit uni virga potens tibi,
Cui saxa largis arida fontibus
Fluxere, Erythraeique sponte
Indomiti patuere fluctus.
Tu digna passis tangere brachiis
Funus verendum, saeva necessitas
Quo fracta lethi, quo superbae
Pernicies reparata culpae.
De te pependit namque hominum Pater
Divum os futurâ decolor heu nefas!
Morte et cruentus membra diris
Vulneribus lacerata, donec
Demisit alto cum gemitu caput
Efflans ab aegro pectore spiritum.
Sol flevit avertitque vultum,
Insolito tremefacta motu
Tellus profundae noctis inhorruit
Late tenèbris, dum pelagi furor
Desaevit insano tumultu et
Gentibus exitium minatur.
Tecum et repenti lumine terruit
Umbras fugaces et domuit Styga;
Tecum ignea ascendit triumphans
Templa choro comitante Patrum.
Salve, beatae pignus adoreae:
Te caelitum ordo morte carentium
Vitaeque consortes piorum
Sidereâ venerantur arce.

Te luctuosi lurida Tartari
Sedes tremiscit, te picei lacus
Amnesque, devotique manes,
Inque Deum male turba pugnax.
Tu, cum choreas astra volubiles
Sistent et orbis funera senserit,
Cum consciae valli tremendus
Ingruet attonitisque saeclis
Judex coruscis nubibus insidens
Altâque stringens fulmina dexterâ,
Fatale vexillum imminebis
Et tacitâ radiabis aethrâ.

V.

Non tu beatum, Musa, vocaveris
Foecunda flavae cui Cereris virent
    Mille arva jucundique Iacchi
        Muneribus niveisque tonsa
Late juvencis pascua mugiunt;
Non qui superbâ fronte, clientium
    Inter catervas, fulta cedris
        Tecta subit Phrygioque saxo;
Non qui timendâ sceptra regit manu
Bellique fulmen diruit hosticas
    Arces triumphatisque flendas
        Nectit ovans populis catenas.
Virtus merentes una beat viros;
Saevaeque ludum interrita despicit
    Fortunae, ut arx immota verber
        Carpathii fremitumque ponti.

Haec laude dignum, nescia funeris,
Lethes avaris fluctibus invidet,
Fatisque major spernit atri
Damna rogi rutilante pennâ. —
Haec te decorum lumine amabili
Laevis juventae suasit iter sequi
Quod casta monstravit feroci
Amphitryoniadae Minerva.
Te tauriformis Vitis in Adriam
Vergens per umbram spissaque nobilis
Dumeta sylvae, te Truentus
Qui placido sonat arva lambens
Picena lapsu, te loca caedibus
Foedata vulgo et devia saltuum
Infamium vitare pernix
Praecipiti brevis amne Cosas
Aequi tenacem sensit et integrum
Cultorem honesti, te sapiens patrum
Ordo quibus tutanda credit
Jura Themis geminamque lancem.
Custode Romae te, domitum nefas,
Et mos revixit, culpaque palluit
Poenam sequacem: non amicae
Sub tenebris animosa noctis
Fraus innocenti sanguine polluit
Inulta ferrum, non furor otium
Civilis exemit nec iras
Exacuit gladiosque cudit.

Te sic honorum per rutilos gradus
Virtus beatos ducit ad exitus,
Ostroque sublimem decoro
Romuleae venerantur arces.
Tyrrhena longe marmora sentiunt
Iramque late et murmura fluctuum
Stravere, Tritonumque laetis
Litora personuere conchis;
Ludunt decentes Nerëidum chori
Auraeque blando flamine pervolant,
Et pulchriori sole ridet
Ora Ligus Latiumque caelum.
Princeps, Latinae gloria purpurae,
Inter faventûm vota Quiritium
Plaususque queis flavi resultant
Amnis aquae dominaeque colles
Urbis, benignis (si vacat) auribus
Admitte carmen quod fide Lesbià
Musa ad virentes bellicosi
Anemonis modulatur oras. —
O quae fugaci murmure fontium,
Pimplèa, gaudes et nemorum comà,
Saturnii o proles tonantis,
Laeta choris citharaeque cantu!
Utcunque amico lumine riseris,
Non Martiali pulvere sordidus
Torquere pugnaces catervas
Imperiis medios per ignes

Stragisque acervos, ritu atavûm, velim;
Non nautam avarum terreat horrido
  Caelum tumultu fervidumque
    Pulsa Notis abies per aequor.
Praeter cruentae praemia laureae
Aurumque fulgens sceptraque principum
  Vestra ars, Camoenae, Deliaeque
    Casta placent mihi serta frondis.

VI.

Quid me Latinum, fide Mari, melos
Hortare blandâ dicere barbito?
Desueta jampridem canorum
Dextra fugit tetigisse plectrum.
Ut pigra brumali arva rigent gelu;
Ut moeret arbos hispida, cui comas
Decusserit vernumque honorem
Dux Aquilo glacialis orae:
Ignobili sic torpuit otio,
Longoque, Phoebi et Pieridum immemor,
Moerore mens squalet, neque ullâ
Laetitiae recreatur aurâ.
Jam nec remotas me, velut antea,
Juvat per umbras et juga montium,
Cum nocte sol pulsâ diurnum
Tempus agit redeunte curru,

Sequi fugaces cum canibus feras;
Jam nec sodales inter amabiles
    Et pocula insontis Lyaei
        Frangere colloquiis morantem
Lucem aut amicae carmine tibiae.
Me nempe lentis macerat ignibus
    Et totus incumbens Cupido
        Ingenii mihi tardat alas.
Ex quo decorae torret amor Chlöes,
Chlöes decorae caesarie nigrâ
    Nigrisque ocellis, una nobis
        Cura Chlöe trepidaeque mentis
Ardor. Beatis haec mihi somniis
Inter chorèas psallere virginum
    Nunc fingitur, nunc dulce lentos
        Implicuisse meis lacertos
Et delicatam mutua ad oscula
Torquere cervicem: ast breve gaudium
    Cur dura frustraris, recedens
        In celeres inopina ventos?

VII.

Quid regna servat moeniaque urbium?
Numen Deorum et pectora civium.
    Defecerit tutela Divûm,
        Regna ruunt, moriuntur urbes.
Testor ferocis funera Galliae
Unctasque fratrum sanguine dexteras
    Et Sequanam matrum querelis
        Attonitum miseroque luctu,
Horrenda postquam tartareâ face
Et crine Erinnys vipereo Deum
    Incessit, et vastavit aedes
        Relligione patrum verendas.
Mox, cum superno fulmine concidit
Fatale monstrum, territa cladibus
    Europa Martem Gallicique
        Imperii tremuit secures.

Dis cara virtus, Dis pietas placet.
Non impiorum, Felsina, te manet
Lugùbre fatum; tu vetusta
Templa novo decorare cultu
Sollers laboras et nova ponere.
Jam nunc beatis proxima moenibus,
Quà mitior colles apricos
Ausonii fovet aura caeli,
Aedes refulget; jam penetralia
Festis resultant carminibus patrum,
Quos una sedes una jungit
Norma et amor studiumque recti
Castam volentes pauperiem pati.
Circum Sabaeis integrae odoribus
Arae calent, laetisque taedis
Ac vario rutilant in ostro, et
Praesente gaudent Numine tangier;
Orant supinis dum manibus senes
Castaeque matronae pudicis
Virginibus puerisque mistae.
O ausa mecum non semel ad sacri
Jordanis undas, Pieri, barbiton
Tentare cedrorum sub umbrâ,
Sume animos Italisque fare:
Foecunda culpae discite saecula
Mores; vereri discite Maximum,
Qui fata regum gentiumque
Arbitrio regit unus aequo.

VIII.

O picta prati gramina floridi,
O sola nostri conscia gaudii,
Ut vos libens contemplor! Ecquid
Carius his oculis videre
Usquam licebit? Hìc jacuit Chlöe,
Hìc fessa lentum deposuit latus,
Hic assidenti blanda dixit
Ingenuo mihi verba risu.
Jocosa circum turba Cupidines
Plausere pennis aëra candidis,
Ardensque lascivae recessit
Chloridos in gremium maritus.
Salvete, prati gramina floridi,
Salvete, nostri conscia gaudii:
Vos hospitali quercus umbrâ
Verque tepens pluviaeque lenes

Auraeque molli flamine mulceant.
Non vos furentis flamma caniculae,
Non grandinis verber sonorae
Tangere, praeteriensque aratrum
Rastrumve saevis dentibus audeat;
Injurioso nec pede proterant
Ad pascua immissi juvenci
Sole novam referente lucem.
Quod si volentem candidus huc Amor
Chlöen reducat, donet et ultimis
Votis potiri, grata dicet
Vos Latio mea Musa plectro,
Ut clariores Hesperidum nemus
Non jactet herbas, nec Veneri placens
Vos myrtus evincat memorque
Populus Herculei laboris.

IX.

Diva, quae cantu citharae et crepante
Fontium lapsu sylüisque gaudes,
Huc ades: ver et Zephyri et loquacis
Murmura luci
Te vocant. Leni trepidans susurro
Rivus hìc herbas violasque lambit,
Et sacrum Fauno nemus hospitalem
Porrigit umbram;
Hìc leves aurae volucrumque linguae
Personant: adsis, neque grata desit
Barbitos cari dolitura acerbum
Funus amici.
Ille jucundo comes in recessu
Fidus haerebat puero et magister,
Quo mihi vestrae placuere primum
Frondis honores.

Ille, seu densis Philomela ramis
Insidens dulces iterare questus,
Seu vagis ferri per inane pennis
Garrula hirundo
Visa, narrabat male crimen ultam
Regis incesti puerique mensas
Conscias caesi miseraeque flenda
Fata sororis.
Saepe vocalis calami parentem
Pana discebam, Dryadumve furta et
Naïades lymphis viridique laetas
Monte Napaeas,
Sive Dianam comitesque nymphas,
Quas Cragum lustrare juvat canum vi et
Eminus certo jaculo fugaces
Figere lyncas.
Nunc nefas! nunc heu! silet os disertum
Morte; torpentes oculos tenebris
Longa nox urget gelidisque lethum
Incubat alis.
Occidit vates; neque flos juventae et
Aurei mores pietasque Divis
Grata, non Musae potuistis atram
Flectere Parcam.
O ubi sacri cineres quiescunt?
Quae pio soles hyemesque clemens
Terra defendit? Stat adire, Clio,
Flebile bustum,

Prosequi mutam lacrymis favillam
Et queri extinctum patriae decorem:
Audiet forsan tacitâque pulvis
Gestiet urnâ.
Laude quem dignum fidibusque sacras,
Diva, non omnem Libitina perdit;
Posterum nomen viret impotentis
Funeris exsors.

X.

Non te dilectae cariturum munere Musae
Tristibus et lacrymis,
O animae pars Jane meae, squalentia Ditis
Visere templa jubet
Impia Persephone fluctusque Acherontis avari.
Heu miser! ante diem
Aetherei dulces liquisti luminis oras.
O dolor, o pietas!
Vidi ego lethali torpentem frigore miris
Pallida membra modis,
Et vitam fato luctantem oculosque natantes
Et fugientem animam.
Vidi ego discisso lugentes crine sorores
Femineo gemitu
Orbatam resonare domum. Et jam flebile tristes
Munus in inferias

Solvit amicitia et memori testudine Clio
Carminis officium.
Non tibi flaventem Cererem gratumque Lyaeum
Rura paterna dabant:
Non cedros et Taenariis operosa premebat
Saxa recisa jugis
Candenti ridens elephanto auroque lacunar.
Te sine labe fides,
Te patriae non segnis amor pietasque pudorque
Sanctaque relligio
Indecori turbâ vulgi secrevit inertis.
Praepetis orbe rotae
Nixa pedem, transmutat opes transmutat honores
Sors vice perpetuâ;
Sed proprium decus et partum virtute, superbae
Non rapit ira deae.

XI.

Concreti glacie jam fluvii rigent,
Jam summis nebulae montibus incubant,
Rontanaeque cacumen
Denso involvitur äere.
Bacchatur viduas frondibus impotens
Per sylvas Aquilo frangere pertinax
Quercus; arva nivali
Late bruma tenet gelu.
Tu ventos volucres in mare naufragum
Et nimbos jubeas cedere, Jupiter;
Lux haec grata Camoenis
Sudo fulgeat aethere.
Namque ex hac rutilam Strocchius ordinat
Annorum seriem, Pieridum sacer
Et virtutis alumnus,
Etruscae fidicen lyrae.

Lux haec sancta mihi non sine carmine
Et votis abeat. Jane, sodalium
Adsis prime meorum,
Festivumque libens larem
Cum docto subeas, Petre, Bedeschio;
Nec te poeniteat cum Zolio pedem
Una huc ferre, Camille,
Cui blandae Charites linunt
Victura aethereo carmina nectare,
Nec te fide Mari, teque Metelle qui
Sollers tradere chartis
Antiquum patriae decus
Et pugnata atavis praelia, nobile
Moliris monumentum. Ara recentibus
Sertis cincta, Sabaeis
Spargi poscit odoribus.
Laetis impliciti tempora frondibus
Praesenti Genio rite operabimur,
Qui producit in aevum
Dilecti capitis dies.
Latonae soboles Phoebe, volubiles
Annos perpetuâ qui vice digeris,
O rex maxime vatum
Qui dulcem strepitum chelys
Fraternae niveo pollice temperas:
Si quid vota valent, non semel advehas
Vate hanc sospite lucem
Curru candidus aureo.

XII.

Dilecta Musis barbitos aviis
Ducit sequaces montibus ilices,
Mulcetque tigres, amniumque
Sistit aquas celeresque ventos.
Tutum ad profundi moenia Tartari
Vates canorâ pandit iter lyrâ;
Rex manium ultricesque Dirae
Et Stygii stupuere fluctus.
Vestro, Camoenae, munere non latet
Ustum Pelasgis ignibus Ilium,
Non fortis Hector, non Achillei
Ira trucis, Stenelusque pugnax.
Vestro, Camoenae, munere sit mihi
Obliviosis demere fluctibus
Fas, Italâ virtute functum,
Aeolioque sacrare cantu

Heroa: vestro nil sine numine
Possunt poëtae. Quo rapitis, Deae?
En obviis adversa signis
Agmina stant, et utrinque rauca
Strepunt minaci classica murmure:
Ignita caedes cum tonitru vomunt
Longe aera, queis caelum remugit
Et refluis tremit Ister undis.
Hinc arma Thracum cornuaque impiae
Lunae coruscant, pectora liberae
Hinc sacra morti pro pudicis
Conjugibus patriâque certant.
Horrendus inter millia fulminat
Hastâ et cruentis Mars rapitur rotis,
Quem terror et lethum minaeque
Et volucres comitantur irae.
Dum bellicosae robur Etruriae
Plorat minaces inter acînaces
Saevosque captivum tumultus
Ire Ducem, ruit in superbas
Heros cohortes, fulguris ocyor
Alis. Nivosis quantus in alpibus
Auster trementes frangit ornos
Cum sonitu veteresque fagos,
Aut, turbidis cum fratribus, Adriae
Exercet undas et nigra nubila
Scindit coruscantem per aethram;
Fulmineo metuendus ense

Sic cum sequaci milite barbaras
Vasto phalanges diruis impetu:
Et pube dum Thuscâ tuoque
Sospes equo fugit inter ignes
Et tela Princeps, tu pedes hosticos
Contundis ictus. Sed numero heu! cadit
Oppressa virtus, Italumque
Saucius Odrysiis sagittis
Pectus, cruentâ strage super jaces
Caesis superbus hostibus immori.
Quo fugit heu! antiqua virtus
Ausonidûm? Quid, inane praeter
Nomen, quid usquam nunc manet Itali?
Nunc non sub armis sudat, at extero
Marcescit in luxu et probrosis
Deliciis inhonora pubes.
Frustra tremendis moenibus alpium
Deus beatos muniit Italos,
Frustra aequoris circum sonantis
Indomitos dedit ire fluctus,
Dum sic pudendo torpet in otio
Imbellis aetas, dum Veneri vacant
Et turpibus scenae choreis
Immemores atavûm nepotes.

LIBER II.

I.

Ales, supremi qui solium Jovis
Juxta coruscis nubibus accubat
    Iramque flammantis ministrat
        Fulminis omnipotensque sceptrum,
Solis sereno lumine perfrui
Gaudens, nivalis trans Boreae vias
    Trans desides nimbos silente
        Impavidus spatiatur aethrâ.
Innixa pennâ sic mea praepete
Contendit altum scandere verticem
    Mens, unde Tyrrhenos beatum
        In populos jubar alma regis
Virtus recludit. Te sonat aureo,
Dux inclytorum Lotharidûm genus,
    Pimplea plectro: te parentem
        Divitis urbs veneratur Arni;

Tu templa sanctis extruis artibus,
Dignisque fulget Pallas honoribus,
Nec sordidam neglecta virtus,
Principe te, patitur repulsam.
Per te protervae fraena licentiae
Injecta, per te vindice territum
Crimen flagello, faustitasque
Paxque tuas beat alma gentes.
Te rege, non vis non furor impiis
Fraterna suasit funera dexteris,
Non ira bacchantûm quietas
Eumenidum laceravit urbes.
Tu flectis alpes, et pecori vago
Vix nota quondam per juga, saltubus
Mirantibus, donas rotarum
Ire sonum volucremque lapsum.
Qua pigra late torpuerat palus,
Nunc laeta aratrum jugera sentiunt,
Glebaeque non mendacis uber
Vota avidi superat coloni;
Regnat salubri mensibus haud suis
Ver molle caelo, jam procul avolat
Squalens egestas febriumque
Atra cohors comitesque morbi.
O qui beatae laetus Etruriae
Princeps, avitis artibus imperî
Torques habenas, et minoris
Consiliis animoque sceptri

Nunc sorte gaudes, non sine dis viges
Regnasque. Fatum te vocat altius,
Volvuntque (si non falsa vati
Arcitenens mihi monstrat augur,
Si non inanes spes Italûm cadent)
Majora Parcae. O optime principum,
Non fama te multique fasti,
Non memores sileant Camoenae.

II.

Dive, qui laetos, meritâ decorus
Infulâ, Myrae populos regebas,
Nuncque stellanti superûm choreis
Interes aulâ,
Dum tibi, doctae studiis palestrae
Dedita, ad festas operatur aras
Auspici pubes, tua vise sacra
Dexter ab alto.
Tu puer, moestas Lyciae per urbes
Dum lues late populata saevit
Et ferox vulgo juvenum senumque
Funera densat,
Nobili spernens pietate vitam
Sublevas aegros ope; splendideque
Prodigum largis hilarata donis
Sensit egestas.

Te decus castae Fidei tuentem
Voce, Nicaeni stupuere Patres;
Arius cessit domitus disertae
Fulmine linguae.
Fana subvertis celebresque cultu
Impio lucos; simulacra coeno
Foeda raptantur, siluere falsi o-
racula Phoebi.
Tu prece et nutu rabiem tumentûm
Fluctuum placas, juvenes avaro
Evocas orco superâque donas
Vescier aurâ.
Qui tuas sumit celebrare laudes,
Debili immensum rate tentat aequor.
Barium felix! ubi sancta Magni
Ossa quiescunt:
Ossa, quae curvis venerantur alis
Praepetes venti, vitrei vagantes
Ob maris ripam, placidique blando
Murmure fluctus.

III.

Dum tu paternâ longius heu! domo
Carisque amicis, utilis hospitis
Abes Sabinis, vimque Parcae
Paeoniis opibus moraris;
Felix apricis villula collibus,
Frequens amoenis villula saltibus
Qui saxa Brasgelae cubantis
Despiciunt humilemque vallem,
Tuto beatum me tenet otio.
Jucunda parvum pax habitat larem,
Nec moeror hîc laevum cubile,
Nec vigiles posuere curae.
Illectus auri nauta cupidine
Remis avarum sollicitet mare,
Atque impetum Arcturi cadentis
Palleat horrisonosque nimbos;

Martis sequatur castra micantia
Signis et acris evigilet tubae
Exterritus clangore miles:
Hic vacuo mihi Phoebus adsit.
Caelum procellis contrahat et nive
Hybernus agros Jupiter obruat;
Congesta non deerunt crepanti
Ligna foco cyathisque vina.
Voluptuosum proterat ignea
Ver et furentis sidere saeviat
Leonis aestas; lenta stratum
Herba dabit, patulâque longum
Solabor aestum sub platano jacens:
Umbras amici dum Zephyri movent,
Dum garrulis vicina lymphis
Sylva sonat volucrumque cantu.
Hìc, vel suavis membra quies mihi
Ultro irrigabit, corda virûm quies
Agrestium mulcere lenis
Et thalamis inimica regum;
Vel Musa tendet barbiton, et nigram
Dicet virentis caesariem Chlöes
Dulcemque risum, et tela blandis
Ex oculis jaculantem Amorem.

IV.

Lux bona, quae Jani glaciales advehis idus,
Non Erato te grata silebit
Indictamve mihi sol aequore condet Ibero.
Tu mihi primo in limine vitae
Affulsti, infandis tunc cum laniata duellis
Infelix Europa quievit,
Victrices aquilas jamjam visura brevique
Compressum male fulmen ab Ilvâ
Ingruere heu! populis iterumque accendere Martem.
Vagitus o conscia nostri
Lux, tene extremum nunc cerno, an forte redire
Fata sinent? Nunc candida rides,
Nec juveni immerito casus portendis iniquos.
Jam magnum sol aureus orbem
Ter caelo explevit; nitidum caligine tristi
Tecta caput (heu, anxia luctu

Mens refugit!) vigiles curas morbumque minacem
Ducebas gelidumque pavorem.
Quam pene in furvo luctantem gurgite cymbam
Et pallentes vidimus umbras
Et fletus sontûm et vatum loca laeta piorum!
Aeternis loca laeta choreis
Et cantu, quae purpureo ver lumine vestit.
Sed Clarii tutela potentis,
Qui volucri horrendum domuit Pythona sagittà
Et sinuosa volumina solvit,
Faucibus eripuit me lethi, et supplice vicit
Aversam testudine Parcam.
Phoebe, tuum est, si jucundo mihi lumine caeli,
Si terrae fas munere vesci:
Semper ades; colui teneris te semper ab annis,
Teque colam dum vita manebit.

V.

Qualis montibus arduis
    Hybernis nivibus altus et imbribus
Vasto murmure volvitur
    Torrens attonitae vallis in alveum,
Tu grandi eloquio ruens
    Diae corda rapis vi sapientiae.
Mens horrescit adhuc metu
    Narrantis populo fata novissima
Irarumque gravem diem,
    Cum sol perpetuâ nocte caput teget
Et caeli furor impia
    Fumantem in cinerem saecula verterit.
Auri dira fames, tui
    Perculsa eloquii fulgure, palluit,
Dum surdas miseram ad fores
    Monstras cum tenerâ prole puerperam,

Quae aversos queritur deos
Et fletu esuriens supplice postulat
Frustra heu! relliquias canum.
Candentem tunicam subdola deripi
Et mendax pietas dolet;
Vindictaeque feram torva libidinem
Et dextram ira coërcuit.
Insani scopulis surdior Adriae
Est et cor triplici riget
Aere atque indomito robore qui tibi
Victas non dederit manus,
Seu crimen maculosum insequeris tonans
In sontûm caput impium,
Seu diam meritis laudibus evehis
Virtutem ad superûm domos.
O quae sidereis munere Caelitum
Lapsa huc arcibus, inclyti
Quo sol cunque diem gentibus advehit,
Fines porrigis imperî,
Serto huic cinge sacram, Relligio, comam.

VI.

Quid sperem miser amplius?
Aut quid jam fieri posse negaverim? —
Converso redeat prius
Nativas Anemo flumine visere
Cautes, ac prius horridas
Sol umbras vehat et pallida amabilem
Mutatâ vice nox diem,
Quam me unquam ulla tuo avellat amore vis. —
Jurabas, memini, Chloë,
Magnae per Veneris numen et alitis
Tela arcumque Cupidinis;
Et collum mihi complexa tenacius
Lascivis hederis, dabas
Ipso suaviolum nectare dulcius,
Quod miscet superûm Patri
Fidâ raptus avi Dardanius puer.

Eheu, ut credulus auream
    Te duxi! ut cupido jugia pectore
Fingebam mihi gaudia!
    Ut regum vigui sorte beatior!
Sed cor femineum doli
    Plenum est et folio mobilius levi.
Jurabas mihi, perfida;
    Nunc oblita mei heu! igne alio cales.
Jurabas; sed inania
    Jampridem rapidi distulerunt Noti
Raucum vota per Adriam.
    O si quis miserorum ultor amantium
Et laesae fidei es deus,
    Quid cessas, nec adhuc fulmine sub nigrum
Orcum umbrasque nocentium
    Perjurum caput hoc vindice truditur?

VII.

Eheu! quid volui mihi?
    Quo me, proh superi! praecipitem furor
Misit? Parce, precor precor.
    Quì non crediderim tot lacrymis, Chloë?
Caecis acta furoribus
    Humana in vetitum mens rapitur nefas,
Getulisque leonibus
    Et laesis gravius saeviet anguibus.
Contemptae fidei dolor
    Vindex in cinerem moenia Dardani
Vertit; nec semel igneos
    Junxit Martis equos, bellaque consciis
Detestata parentibus
    Accendit. Fateor: me malus impulit
Error non bene compotem
    Mentis, me rabidis versibus invehi

Suasit sollicitus furor.
    Nunc facti piget, et fulmina deprecor.
Ure o impia carmina,
    Vel tradas celeri ludibrium Noto,
Et reddas animum volens.
    Non tantum ira scelus post mihi suaserit.
Sic me semper ames, Chloë,
    Et constans aliâ non tepeas face;
Sic contentus amans, tuo,
    Cum me mors jubeat visere pallidos
Manes, deficiam sinu,
    Et dulci fugientem ore animam legas.

VIII.

Non te silebo, nec Latiae fidis
Cantu carebis, quercus, ab arduâ
Quae rupe despectas sonorum
Anemonis fugientis amnem.
Tu panda fessis, sol ubi montium
Contraxit umbras, frigus amabile
Pastoribus praebere gaudes
Et pecori saturisque tauris.
Tuâ sub umbrâ saepe Cupidines
Verno jocosi tempore gestiunt
Aut aureis certare telis
Aut niveis volitare pennis,
Dum Pan loquaces inflat arundines
Ventosque sistit carmine praepetes,
Ducuntque cum Faunis protervis
In numerum Dryades choreas.

Non Auster atrox, non Boreas furens
Annosa saevo turbine brachia
    Contorqueat, laedatve cano
        Bruma gelu rapidumque fulgur.
Salve, canoris nota avibus domus,
Arbor supremo grata deûm Patri:
    Hoc nostra pro dulci rependit
        Hospitio tibi Musa carmen.
Hìc in tenaci gramine miscuit
Dilecta molles blanditias Chloë;
    Hìc candido ponens supinum
        In gremio caput acquievi.

IX.

Jam gratâ Zephyri fugit hyems vice:
Nec torpent glacie flumina, nec vagae
Altorum nebulae culmina montium
Celant et gelidae nives;
Nec miscet Boreas praelia cum Noto
Horrendum Adriacis fluctibus insonans.
Molles pervolitant rura Favonii
Et laetum aëra temperant.
Jam frondent sylūae, notaque pascua
Erranti repetit cum grege, et avio
Secessu nemoris dulcia carmina
Dicit pastor arundine.
Nunc Teiis fidibus ludere, nunc choris,
Et crines nitidis cingere floribus,
Nunc explere hilari pocula Cyprio
Cum cantu decet et jocis.

Huc lento citharam pulvere sordidam,
Huc o serta brevi depropera rosâ,
Et fer vina, puer; laetaque dulcium
Adsit turba sodalium.
Nec desit Pholöe blanda volubilem
Rauco sub crotalo ferre choris pedem,
Nec flavente decens crine Lycymnia
Et candente humero soror.
Annus perpetuâ ver revehit vice:
Nos vitae premit heu! summa brevis, neque
Cum mors sub Stygias compulerit domos,
Surdus dat reditum Deus.

X.

Jam sacra aulaeis nitet ara et ostro;
Jam faces fumant, redolentque thura:
Virgines castae et pueri, recentes
Spargite flores.
Te juvat festo celebrare cantu,
Flos puellarum, memorisque palmae
Quod tibi saevi decus arrogavit
Ira tyranni.
Namque crudeli cadis icta ferro, et
Heu! rigas fumante solum cruore,
Cum tibi primum properaret aetas
Condere lustrum.
Sic in aprico rosa languet horto
Verna, quam grando violens cecìdit;
Sic breve immiti moritur ligustrum
Turbine raptum.

O volens adsis, facilisque vota
Accipe orantûm celebremque cultum
Quem per exactos pietas clientûm
Integrat annos.

XI.

Quis te non amet, o bone
    Baccharum pater, o laetitiae dator,
Liber, qui juga tigridum
    Gaudes indomitâ flectere dexterâ et
Inter Naïadum choros
    Praecinctus viridi ludere pampino?
Me non, Euie, conscium
    Regis Threîcii funera terreant;
Me non Pentheos impii
    Fatum sollicitet, nec rabidis, tuo
Actae numine, vindices
    Discerpant manibus viscera Thyades.
Euoe, Liber, io; hìc tuis
    Spumant muneribus laevia pocula:
Hìc crines hederâ tuâ
    Vincti te canimus sub Jove, amaraque

Curarum eluimus mero.
    Euoe, vitisator, laetitiae dator;
Euoe, Bacche, Jovis genus.
    Adde huc vina, Mari; stat furere... O, viden',
Ut flavâ Pholoë comâ
    Et glaucis oculis et niveo sinu
Insignis, Pholoë tua
    Secreto madidos ridet ab angulo
Et cantum male sobrium?
    Accede o propius, nec cupidis tuâ
Jucundum, Pholöe, meri
    Fontem sit pudor invergere dexterâ,
Neu saltare agili pede
    In morem Saliûm. Nunc choreas leves
Et miscere juvat jocos,
    Dum parcit tremulis luminibus sopor,
Dum sol occiduus sinit
    Et mentem quatiens jam nimius deus.

XII.

Salvete, lymphis et nemorum comâ
Montes amoeni, saxaque devia,
Et docta pastorum vagantûm
Antra rudem resonare musam.
Salvete, fontes Anemonis mei:
Vos densa quondam funera Teutonûm
Tinxere, dum vindex ministrat
Agricolûm furor arma dextris.
Vidistis, arces et loca lugubris
Ignara Martis, praecipitem fugam,
Turmasque latronum superbas
Italiae spoliis jacentis
Vastâ ruinâ concidere, ut seges
Perculsa dirae grandinis impetu.
Hìc conscia infamem cruorem
Terra bibit, galeisque et hastis

Lateque stratis millibus horruit:
Hic gentis ultum dedecus Italae,
Laetusque rumor per frequentes
Ausoniae volitavit urbes.
Heu, invidendis muneribus Deûm
Ditata tellus non bene! Quid juga
Alpina discordi, quid arces
Profuerunt et uterque pontus?
Pene heu! dolosae miles Iberiae
Delevit Urbem sub duce perfido:
Auditus Europae stupenti
Romuleae sonitus ruinae.
Nec mersa damnis est levioribus
Aetas parentum ferrea, cum gravi
Praetenta libertas rapinae
Hesperias popularet oras.
Videre magni moenia Romuli
Praedas avaris curribus avehi
Ad Sequanae arces parricidae
A Tiberi sine caede victo.
Videre sanctum Pontificem, impiis
Vinctum catenis, sede suâ (nefas!)
Avellier, templisque inultis
Sacrilegas equitare turmas.
Eheu, nepotes, jure negabitis!
Non exterarum munere gentium
Quaerenda libertas, sed armis,
O Itali, proprioque marte.

Grave et probrosum est servitium pati;
„ Dulce et decorum pro patriâ mori.
O ter beatus qui pudicis
Pro thalamis patriâque pugnans
Virile lethum fortiter oppetit!
Heroa certent dicere posteri,
Et marmora et sanctae loquantur
Aonides memoresque fasti,
Dum stabit aeterni arx Capitolii,
Dum Vaticano fulmine Pontifex
Terrebit orbem, perque gentes
Christus aget sua signa victor.

XIII.

Quid fles moesta, Chlöe, te paupere sub lare cretam,
Nimisque amanti disparem?
Ne dubita, mea lux;
Ne dubita, si me quid amas. Mihi sortis iniquae
Damnum mederi non grave
Posse chely Aonià
Parca dedit. Laurae sacravit nobile nomen
Seris legendum posteris
Non genus et patrium
Aurum, sed Thusci virtus et lingua poëtae.
Et tu superbis clarior,
Munere Pieridum,
Fies virginibus queis fulgor inutilis auri
Ornaverit cunabula.
Divitiae pereunt,
Nec post fata juvant: sacrorum carmina vatum
Vivunt, nec aevi sentiunt
Damna nigrique rogi.

Non ego despectus Phoebo, nec si quid amica
Me Dauniâ testudine
Ludere Musa jubet,
Ingratum doctis sonat auribus: Itala Clio
Vatum beatis inserit
Me quoque laeta choris,
Et dat securo sacri de vertice montis
Vulgus malignum spernere
Atque humilem invidiam.

XIV.

Regina florum, purpurei decus
Veris, tepentes quam Zephyri levi
    Fovere flatu nutriitque
        Lentus aquâ trepidante rivus,
Almae Diones deliciae, rosa:
Te suave olenti nuper in hortulo
    Prae luteis calthis, pudicâ
        Prae violâ, mea dextra legit.
Felix! amico pollice mox Chlöe
Te nostra tanget, et dabit osculum;
    Te lucido imponet capillo,
        Vel strophio mediam locabit.
Tunc tu suavem jure superbies
Spargens odorem; tunc tibi laus nova
    Accedet. Ah! cur sorte tali
        Posse frui mihi dîs negatum?

Non rex olympi conscia laetior
Formam potentem per freta vexerat,
Aut imbre pressisset doloso
Attonitae gremium puellae.

XV.

Et late tacitis terras complectitur umbris
Gratoque nox mortalium
Corda sopore levat.
Et jam nubiferi celsum caput Apennini
Splendore vestit candido,
Pulchra Jovis soboles,
Cynthia ventorumque carentes murmure sylvas.
Non laeva stryx, non obvia
Noctua triste canat,
Dum me jucundae per amica silentia lunae
Solum et volentem ad patriae
Tecta reducit amor.
Jam sonus Anemonis suspensas excitat aures,
Sonus paterni fluminis.
Arne superbe, vale,

Tuque urbs, Cecropiae sedes dilecta Minervae,
Dilecta Musis et deo
Qui superûm attonitam
Fraternae mulcet cantu testudinis aulam.
Oblitus almi nectaris
Vatis ab ore Pater
Pendet, ventorumque animae nimbique silescunt;
Ales minister fulminis
Ad solium omnipotens
Demittit pennas et curvans humida terga
Incerta claudit lumina.
Ad patriam propero;
Ad patriam, quo dulcis amor veteresque penates,
Quo turba amicorum vocat,
Quo mea vita Chlöe.
Illa modo ad vigilem lychnum cum matre severâ
Pensum laborat carpere
Multa putans animo,
Forsan et absentem furtim heu! suspirat amantem;
Serove stratis mollibus
Victa sopore jacet.
At, tu nocturnae Morpheu pater alme quietis,
Si blanda defessae tegis
Lumina nocte tuâ,
Duc, precor o, nigro felicia somnia poste,
Et dic in aurem consciam:
Jam tuus ignis adest.

XVI.

Cur mortalibus inviâ
    Eventura premit nocte Diespiter
Prudens? Ut studeat brevi
    Praesentis sapiens munere temporis
Uti, et de volucri die
    Horam carpere. Da, da citharam, puer;
Affer serta recentia,
    Affer cum cyathis vina capacibus:
Taedis mensa renideat,
    Et laeto vireat flamma crepans foco.
Dum caelum nigra contrahit
    Tempestas, gelidas et glomerat nives,
Hìc, dilecte Mari, mero
    Nos certabimus et carminibus lyrae
Securi Boreae trucis
    Hybernique Jovis. Parce pedestribus,

Antoni, historiis: brevi
    Et tu desipias; non pereunt male
Quae dulci genio damus.
    Moestus vixeris et sollicitudines
Nolis mergere poculis,
    Infensus Bromio laetitiae patri;
Non tu pallida serior
    Vises implacidae regna Proserpinae, et
Circum moenia languidis
    Errantem novies fluminibus Stygen,
Et torvi ora satellitis
    Flecti muneribus vel prece nescii.

LIBER III.

I.

Imbelle tergum qui dedit hostibus
Virtutis expers et timuit mori,
    Ignotus occumbat; sed almae
        Non sileant bene facta Musae.
Tu multa flentis conjugis oscula
Parvumque natum linquere sustines,
    Dum Mantuae regnator altae
        Belligeras vocat in phalanges.
Te vidit Ister sanguine barbaro
Infectus, in certamine Martio
    Urgere per caedes per ignes
        Armisonas equitum catervas,
Et bellicosâ Thracas in impios
Densare late funera dexterâ:
    Sed praemiis non te decorum et
        Incolumem patrii penates

Videre; casto non reducem sinu
Excepit uxor, quae memori heu! thoro
Te saepe per somnos vocavit
Anxia, nec galeâ comante
Materna vultum territus abdidit
Post colla natus: heu! cadis exterâ
Infletus orâ, nec sepulcro
Aut titulo pia dextra donat.
At non carebis munere posterae
Laudis, nec aetas nec tua deleat
Impune vis Lethes avarae
Nomina, si patriae manebit
Innixa fastis fama perennibus,
Si quid valebit Pieridum favor
Et lingua, nec frustra nepoti
Dat citharam mihi Phoebus augur.

II.

Si nulla fallunt gramina pallidis
Infensa morbis, inque tuâ fide,
O Phoebe, sunt casti poetae;
Sperne beati Heliconis umbram
Et antra laetis Pieridum choris
Lustrata, vati nec pigeat tuo
Arcere discrimen supremum,
Vimque feri cohibere morbi.
Ah! ne superni linquere luminis
Oras, et atri visere Taenari
Impellat umbras immerentem
Impia Persephone poëtam!
Te, Dive, voti compos amabili
Dicam Latinae carmine barbitos,
Festamque spargam thure multo
Fronde tuâ redimitus aram.

III.

Heu! nec precantem Delius audiit,
Nec trux pepercit Mors capiti sacro:
Heu! vota Myrtoum procaces
In pelagus rapuere venti
Et spes inanes. Occidit, occidit
Nostrae institutor duxque puèrtiae,
Quo tramites monstrante sacros
Lauricomi licuit vireta
Adire Pindi et culmina desidis
Ignara vulgi; quo citharae vocant
Cantusque doctarum sororum ad
Gorgoneae leve murmur undae;
Quo sancta castis limina vatibus
Praesens recludit Phoebus, et irritâ
Frustra venenatas sagittas
Livor iners jaculatur irâ.

Nunc jure luget turbidus Anemo
Moestoque ripas murmure verberat,
Et squalidis non audientem
Flet patria ad tumulum capillis;
Angitque mentem funere lugubri
Illata clades, dum subito rapit
Mors atra virtutis magistrum
Et docilis columen juventae.
Quid, Jane, surdos carmine prosequor
Manes inani? Fas Polyhymniae
Clarare virtutem potenti
Voce lyrae, Stygiisque vivax
Nomen merentis demere fluctibus;
Sed non avarae jura Proserpinae
Mollire, dilectumque ad auras
Aetherias revocare vatem.
Omnes eodem dura necessitas,
Quicunque caeli lumine vescimur,
Urget, nec extinctos querelae
Restituent memoresque Musae.
Intaminatae lumine gloriae
Ornata virtus una fugit rogum,
Secura fortunae et sequacis
Invidiae volucrisque lethi.

IV.

Amice! saevum ludere pertinax
Fortuna ludum gaudia luctibus
Vertit, beatorumque regum
Sceptra Atropos nec opina frangit.
Mors flenda non est: assidue hìc malis
Vexamur, invisum heu Superis genus!
Est una mors finis laborum
Militiaeque periculosae,
Una aestuoso portus ab aequore.
Compesce questus: quid nimium pius
Heu! surda cum fletu parentem
Fata tuum misero reposcis?
Non si beato ditior Attalo
Croesoque late gentibus imperes
Regemque te Ganges et Indus
Audierint domitaeque Gades,

Non si canoro blandior Orpheo
Aurita ducas saxa sono lyrae
Stupentibus sylvis et auris,
Ac Phrygium pietate vincas
Heroa, possis illacrymabilem
Lenire Parcam. Desine luctuum,
Amice, nec vano quietum
Sollicites gemitu sepulcrum.
Nunc ille fugit damna volubilis
Fortunae et aevi, nunc fruitur die
Felix perenni praemiisque
Queis meritos beat alma virtus
Post fata Divûm coetibus inserens:
Illinc avari despicit aequoris
Fraudes et iram, quo peregit
Sospes iter rate Dîs amicâ.

V.

Bruma jam molli Zephyro soluta
Cedit, et tristes abeunt pruinae;
Nec nigro hybernos meditatur axe
Jupiter imbres.
Cana diffùgit glacies, renident
Aequora et laetum sine nube caelum,
Et vagae in sylvis liquido volucres
Gutture vernant.
Nunc Venus regnat Venerisque taedâ
Natus et saevo metuendus arcu;
Nunc ferae dulces repetunt amores:
Omnia rident.
Hìc ubi blando volitans susurro
Arborum lentas movet aura frondes
Et levi molles trepidat per herbas
Murmure rivus,

Hic latus mecum mea vita ponas
O Chloë: Teiae fidibus Camoenae
Hic laborantem loquar in fugaci
Virgine Phoebum.
Audiet rivus, Zephyri silebunt;
Osculum nec tu renues amanti
Praemium vati varioque pictam
Flore corollam.

VI.

O Diva magni Filia Numinis
Materque Virgo, quae mare conscium
Caelumque telluremque summo
Patre minor moderaris auspex;
O pulchra quantum non vaga lucidos
Luna inter ignes, non roseo mari
Aurora consurgens serenam
Sideribus redimita frontem;
O sancta quantum non volucres chori,
Per quos superbi robora Tartari
Flent victa et aeternis refulgens
Carminibus sonat aula Divûm;
Excelsa quantum non Libani arcibus
Innata cedrus, non riguis Cades
In vallibus palma, aut apricis
Alta jugis Solymae cupressus:

Te prona adorant agmina caelitum,
Te pallet Orcus; tu Stygii premis
Frustra reluctantis draconis
Virgineo pede colla victrix.
Nondum silenti prodierat chao
Opaca tellus, nec jubar aureum
Sol horridis solvens tenebris
Attonitum recreabat orbem,
Tu cura magni metaque consili,
Fontes supernae pandere gratiae
Electa et inferni timendum
Proruere imperium tyranni.
Qua sêcla lustrat sol, coleris dea
Et mater audis; tu pia sontibus
Avertis iracunda Nati
Tela graves meditata clades.
Te terra longum dissociabili
Celata ponto, te Libya acrium
Nutrix leonum, altumque Gangem
Et Scythicum prope flumen orti,
Te longa flentis funera Iberiae
Tellus et audax Gallia praeliis,
Te decolor curru propinqui
Solis Arabs gelidusque Cimber,
Te fraudulentum qui Tamesim bibunt
Istrumque, nôrunt; te Jovis immemor
Vestaeque Tibris, te beatae
Ausoniae venerantur urbes.

Et nos piorum turba clientium
Multâ vocamus cum prece supplices
    In vota praesentem, damusque
        Thura sacris adolere flammis.
Sensere patres quid valeat Tui
Tutela; belli victa pericula
    Faustasque pugnas auspicatam
        Exuviae docuere ad aram.
Tuis pepercit non semel Italos
Bacchata late per populos lues,
    Et motibus crebris supremum
        Excidium minitata tellus.
In nocte stratis prosiluit parens
Dulcemque prolem pressit ad ubera;
    It horror instantis ruinae
        Et trepidas gemitus per auras:
Senesque curvi et cum pueris patres
Et squalidis heu! virginibus tuam
    Affusi ad aram non inani
        Te dominam prece prosequuntur.
Nimbos coërces et Boream trucem
Diramque, frugum prospera, grandinem;
    Caelumque sudum prona nostris
        Das precibus pluviosque rores.
Regina, salve: numine dextero
Tu semper adsis rite vocantibus;
    Tu patriae res et jacentis
        Italiae foveas secunda.

Quem tu benigno lumine videris,
Tutus draconum terga perambulet,
Tutus per Aegaeos tumultus
Per tenebras gladiosque tendat.

VII.

Quantus profundum fertur in Adriam
Ortus nivosis Eridanus jugis,
Quem mille regem amnes verentur
Et famulis comitantur undis;
Largis abundans fontibus ingens
(Seu Teio amores pectine concinit
Et virgines et regna vini,
Sive sonat graviore plectro
Divos, vel alti praelia Caesaris
Et ducta regum colla minacium
Romamque plaudentem triumpho)
Pindarico ruit ore Flaccus.
Nos more rivi florea lubrico
Per prata euntis murmure serpimus
Qua devocat declivis error
Et sylüae Zephyris sonantes.

Non sola celso nubila dividens
Malo et fatigans mole Thetin ratis
Vincet procellas; et biremi
Aura favet geminusque Castor.
Et me benigno numine Delius
Augur beatos tangere gloriae
Portus et aeternum virenti
Fronde dabit redimire cymbam.
Quae Dauniâ nos ludere barbito
Suadet Juventas, non volucris fuga
Delebit aevi; sic potenti
Melpomene placitumque Parcae.
Non interibunt carmina Virgini
Devota magnae, quae mare conscium
Caelumque telluremque summo
Patre minor moderatur auspex.
Seri nepotes discere gestient:
Vos nunc pudicae, discite, virgines,
Et Lesbium alternis ad aram
Rite choris iterate carmen.

VIII.

O spes et ardor Gloria fortium,
Virtutis almae Gloria praemium,
    Te luce vivaci merentis
        Musa jubet decorare nomen.
Non ille sanguis degener, impigrâ
Virens juventâ, te renuit sequi;
    Non dura belli, non cruentos
        Martis equos timuitque mortem.
Primus ferorum signifer hostium
Incessit iras; primus equo minax
    Vexavit aeratas cohortes,
        Ut Siculas celer Eurus undas.
Frustra heu! parabat praemia debitae
Bellona fronti; nam puero decus
    Invidit, et venale letho
        Fregit atrox Libitina sertum.

Vidit misertus arbiter Adriae
Languentem in armis ad Sonitum leo,
Dum tristibus nox longa flavos
Implicuit tenebris capillos.
Sic grata magno populus Herculi
Vernis ad amnem luxuriat comis;
Mox invidi torrentis irâ
Aut rigido cadit icta ferro.

IX.

Qua Scylla saevit virgineum latus
Succincta monstris, orba suo duce
Per saxa per syrtes dolosis
Fertur aquis peritura pinus.
Sic nostra, magni consilio Jovis,
Est vita caecis obvia casibus.
Mavortis expertem juventam
Sub placido lare Parca viset
Inter choreas laetaque pocula,
Et vertet atro gaudia funere.
Nempe omnibus stat meta vitae
Jussa Deo, neque fata monstrant.
Te, te mearum praesidium et decus
Graberge rerum, tot pelagi vias
Mensum tot ereptum periclis,
Dum dominam vagus Arnus urbem

Terret superbo flumine, languidum
Servavit almae fulgida Pallados
Tutela. Me dum certat ardens
Attonito superare circo
Adversa pubes et refugum horridis
Follem per auras trudere caestibus
Dumque aemulis intenta plagis
Densum humeris tenet ora vulgus
Plaususque fervent, in caput inscium
Imbrex caducus culmine ab arduo
Ad luridum mittebat orcum,
Ni subito deus affuisset.
Alis diurni luminis ocyor
Delapsa caelo Calliope manu
Avertit ictum, ne immerentem
Mors raperet violenta vatem.
Vester, Camoenae, non ego palleam
Fluctus frementis navita Bosphori,
Non tela miles, non viator
Per Libycas vaga monstra arenas
Inhospitalis nec juga Caucasi;
Qua fixum acutà rupe Prometea
Centumque devinctum catenis
Ira Jovis cohibet supremi;
Nec parcit ales vellere morsibus
Jecur superbum, nec caput impium
Terrere nimbis et coruscis
Fulminibus tonitruque caelum.

Audax negatâ terrigenis viâ
Solis serenam scandere regiam
    Huc inferendi semen ignis
        Surripuit face fraudulentâ.
Tunc rupto avari carcere Taenari
Cohors malorum gentibus ingruit
    Et pallidos obducta vultus
        Mors tenebris volucremque currum.

X.

Quid properas croceo currus, Aurora, rubentes
Exerere oceano?
Diva, mane, noctique sinas placidaeque quieti
Longius imperium.
Tu centum revocas ad Serica pensa puellas
Membraque fessa jubes
Corripere e stratis: nunc et mea secubat alto
Pressa sopore Chloë.
O si qua est pietas, roseos compesce jugales;
Supprime lora, precor.
Ipsa quoque invito detergens pollice somnum
Ad grave surget opus;
Jam cerebrum tentare vapor, jam fervida molles
Urere lympha manus.
Ah! pereat quicunque novi mala semina luxus
Intulit Ausoniae,

Atque metus patiens longi durique laboris
Cornua torsit atrox
Ad rubrum mare damnosâ pressurus avaram
Navita merce ratem.
Non quae depectunt male ditibus aurea Seres
Vellera ab arboribus,
Sed grave loricae pondus secura bonorum
Pectora texit avûm
Aerataeque caput galeae. Sic alta Quirini
Jura dedit domitis
Gens populis Poenoque infecit sanguine fluctus,
Et gelidus Tamesis
Euphratesque procul Latias timuere secures
Romuleumque Jovem.
Sic dux Cuniades ultus victricibus armis
Degenerem patriam:
Barbara trans alpes fugerunt agmina, Martis
Relliquiae Italici,
Ut capreae audito nemorosâ in valle leone
Graminis immemores.

XI.

Recte repôsti promis ab horrei,
Metelle, lentam sedibus amphoram;
Ciboria en adsunt rosaeque
Et virides hederà coronae.
Tecum repulsae, quam retulit suo
Noverca vati patria praemium,
Oblitus et major protervae
Artibus invidiae, innocentis
Hic plena ducam pocula Liberi:
Curas tenaces dissipat et metum,
Laetasque spes Liber reducit
Ut Zephyri levis aura flores.

XII.

Acribus exagitat stimulis generosa virorum
Pectora laudis amor.
Laudis amor fragili suasit contemnere pinu
Impavidum Ligurem
Intacti fremitum oceani et nova quaerere regna.
Praemia Palladiae
Hic frondis petit, hic clarus Permesside lauro
Sidera fronte ferit.
Illum Romulei decus ostri, hunc parta cruento
Gloria Marte beat.
O regum matrona genus, cui carmina cordi
Blandaque vox citharae
Et Musae intactis gaudentes fontibus, audi:
Sanguine pulcher honos
Venit et ignavo secernit Martia vulgo
Laurea magnanimos

Dis miscens superis. Caelo sic ignea fortem
Inseruit Patruum
Virtus, attonitos qui belli fulmine reges
Et populos domuit.
Suspexit trepidans victorem Europa potenti
Stringere sceptra manu,
Et late regem famulis dare jura superbo
Gentibus a solio.
Quid felix est passa diu sors, laeta triumphos
Vertere funeribus?
Regale eripuit sertum, nudamque remoti
Egit ad oceani
Cautem cum trepidis dea conjurata tyrannis.
Pulchra quoque Aonidum
Nobilibus studiis laus surgit et alite versu
Barbitos Aeoliae;
Nec quae dilectis dat vatibus augur Apollo,
Sanguine serta madent.

XIII.

Blandum fugaci fons trepidat sono,
Blandum queruntur umbriferis vagae
Sylvis volucres, et loquentes
Vere agitans levis aura frondes:
Sed vox Thaliae blandior, et sacra
Oblectat altis pectora regibus.
O carminum plectrique eburni
Diva potens, Jovis alma proles,
Seu cum pudicis laeta sororibus
Pindi sub antro nunc agitas choros,
Seu mista Dis stellante olympi
Arce sedes, cohibere praesens
Iram caduci fulminis et nigros
Fugare nimbos carmine barbiti;
Descende quà puris opima
Regna secat tuus Arnus undis.

Non ulla Eoo gurgite laetior
Dies beatae prodit Etruriae.
Haec editum te in lucis oras,
Lotharidûm generose sanguis
Rex, prima vidit. Pulchrior en tuam
Sol lustrat aulam; laetitiâ urbs fremit,
Gratique Dîs surgunt odores
Cum populi procerumque votis.
Longos in annos haec redeat tibi
Lux fausta: id omnis poscit Etruria
Natusque qui florente, regni
Altera spes adolescit aevo.
Terris Deorum te domus invidet
Jampridem, et auspex non sine numine
Natalis horae Astraea, caeli
Plus propriâ tibi parte linquens
Aurata tendit brachia. Serus o
Visas olympum et debita sidera;
Diuque Thuscorum volentûm
Fraena regas pater atque princeps.
Hìc dia virtus, hìc chorus artium
Tutela castae Pallados, hìc Themis
Regnatque pax; et saêcla priscum
Te duce jam redeunt in aurum.
Tyrrhena gaude sorte tuâ, Deo
Dilecta tellus: nil melius bona
Nil gentibus donare majus
Fata queunt sapiente rege.

XIV.

Fretum superno praesidio virum,
Non impiorum dimoveant minae,
Non imminens collo securis
Et facies metuenda lethi.
Sacris verendum vestibus impia
Te turba saxis cominus impetit;
Tu procidens in genûa caelum
Suspicis et moriente palmas
Cum voce tendis — Parce, Pater Pater,
Turbae nocenti; jam propero tuum
Felix in amplexum: quid ultra
Hic moror? o tua pande templa. —
Fulgens patescit regia caelitum,
Festique palmas deproperant chori;
Tu nobili laetus triumpho
Emeritus petis astra miles.

I ferre magnae praemia adoreae,
I nunc: sequentur millia fortium
Queis dux decòris praenitebis
Vulneribus rutilâque palmâ.

XV.

Ponas protervae jam modum superbiae,
O matre turpi turpior,
Anus vorax et impudica et putrida.
Sagax nepotes glubere
Et foeda magno venditare gaudia,
Opum paràsti jam satis.
Urget senectus, pristinae vestigia
Delere formae pertinax.
Non dentium, quos mane verna aptat puer
Gingivae inermi, lucidà
Phalange, fuco nec genis fas illitis
Dulcem juventam reddere.
Emas potenti quod libet pecunià,
At non senectam amoveris.
Es jamdiu matura funeri: quatit
Anhela tussis ilia,

Et lacrymosos ambit oculos purpura,
Nudumque squalet sinciput.
Vultum exarant rugae, gravisque sibilat
Olentis oris spiritus,
Rimosam ut Auster imbricus per januam,
Et laxa mammarum cutis
Araneosum amat umbilicum visere.
Quoquo propinquas, civium
Avertit ora liberum fastidium,
Parcamque Diris devovet
Vespillo avarus, quod ferètro putidum
Nondum cadaver porrigit.

XVI.

Ut prona raucum flumina in Adriam,
Mortale da orcum cogimur heu! genus:
Occulta fati vis adurget
Et fuga non redeuntis aevi.
Non fulgor auri, non breve amabilis
Lumen juventae, non diademata
Ostrumque regum, non triumphis
Partus honor, pietasve possit
Atrum morari funus et ultimae
Luctum diei. Quae bene fecerit
Ardente quis virtute fultus,
Sola avidum Phlegetonta vitant
Nigros et ignes. Tu bene splendidis
Oblivionem vincere fraudibus
Et lividam, Antoni, laboras
Persephonen, patriam a remota

Clarare fastis nixus origine, et
Marte arrogatam scribere gloriam.
    Me nescium vulgi profani
        Musa beat, Latiumque donat
Ausu secundo tendere barbiton.
O quae reclinas turrigerâ latus
    Sub caute prospectans sonantem
        Anemonem famulamque vallem,
Quamquam Latini praemia muricis
Et consulares te Capitolii
    Jam nobilem finxere fasces
        Et galeam tibi laurus ornat
Sudore creta et sanguine fortium,
Fortasse vatem me quoque, patria,
    Jactabis, et parcet sepulto
        Abjiciens sua tela livor.

XVII.

En te meorum prisca domus patrum,
Tandem reviso, cui celer obstrepit
Marzenus insurgitque pone
Turrigeri mina Ceparani.
Thusci relinquens moenia Mutili,
Quae jam tyrannis ira potentium
Exemerat virtusque avorum,
Hic profugos posuit penates
Late coemptis jugeribus mei
Longinquus auctor sanguinis, aurea
Tunc cum redonabat Latinis
Secla Leo, dominamque Romam et
Dilecta magni litora Tibridis
Pallas sequaci visere cum choro
Pindoque Latous relicto
Et comites rediere Nymphae.

His, non parentum et nominis Itali
Indigna, crevit sub laribus viri
Proles, inertem exosa vulgum
Et tenebras mulièbris oci.
Hic Mantuani dux equitis ferox
Infecit Istrum sanguine Thracio:
Hunc splendida Urbanae secutum
Castra togae, Themidos severam
Librare lancem vidit Avenio;
Videre Carni tela sub alpibus
Tractare germanos, et inter
Austriacae metuenda pubi
Vexilla Martis Adriaci, hostium
Urgere turmas et quatere oppida.
Is Cypriâ ereptus ruinâ
Fratribus attonitis piaeque
Heu! flenda dixit praelia conjugi
Dolosque Thracum funeraque Italûm
Sectumque, pro informe lethum!
Te rabidis, Bragadine, cultris.
Salve, meorum prisca domus patrum:
Quamquam coloni diruta pauperis
Vix sufficis proli et petulco
Tecta gregi validisque tauris,
Quamquam priori non domino terit
Sub sole messes area, nec mihi
Vineta florent nec decòris
Culta comis juvenescit arbor,

Te laetus aeque conspicio et libens.
Quid non senescit? Quid fuga temporum
    Ludusque fortunae insolentis
        Stare sinit? Jacet alta Thebe,
Insultat usto grex vagus Ilio,
Immugit Auster per nemus accubans
    Arci Palatinae, nec audit
        Aligerum pelagus leonem.
Invicta stares, urbs Venetûm, neque
Longe evagatus perdiderit furor
    Te Gallici Martis! Manerent
        Italiam meliora fata.

XVIII.

Devota postquam saecula Rex deûm
Late superbis fluctibus obruit
Et gestierunt vasta cete
Sylviferos super ire montes,
Atque una justi casta domus Noë
Sospes pependit aequore funebri,
Candentibus longam columba
Mensa viam per inane pennis,
Pudica coenum tangere, ad hospitae
Secura navis tecta revertitur.
Sic sordidum morem perosa
Te recipis sapiens puella in
Tutos recessus, pax ubi lucidum
Fulget piarum pectora virginum
Mulcens et evectura caeli
Emeritas super astra virtus.

Hìc tu profani pura Cupidinis,
Insanientis nescia saeculi,
Florebis, ut septâ renidens
Areolâ niveum ligustrum.
Hìc te beabunt gaudia, sontibus
Ignota nec venalia fulgidis
Gemmis vel auro; et sorte falles
Purpureos potiore reges.
Hìc, cum caduci corporis artubus,
Optata justis, atra nocentibus
Mors spiritum solvet volentem,
Nempe erit ut placidam serenet
Frontem jacentis lapsa per aëra
Vox et beatis insonet auribus: —
Huc o ades dilecta; cessit
Tristis hyems, siluere venti et
Nimbi minaces: gaudia te vocant
Sperata longum; surge age, stat mei
In parte te regni locare:
En meritae diadema fronti.

LIBER IV.

I.

Dic laeta felix carmina, Mutilum:
Templum Sabaeis fumat odoribus
    Taedisque, consperso renident
        Flore viae viridique myrto.
Lux sacra Magno, qui tua protegit
Custos et auspex moenia, jam micat;
    Lux sacra Magno, quem Latinae
        Pontificem coluere gentes.
Te, sancte, divûm coetibus intulit
Secura virtus, cum solio in tuo
    Solemnem ad aram trux cecìdit
        Sacrilego caput ense lictor.
Non tu, supremi consilio Patris
Datus fideli dux populo, hosticos
    Palles tumultus, sed supernâ
        Fretus ope impavidus resistis.

Novatianas fulmine subruis
Fraudes, piorum sollicitus gregem
Tutas et auges; inque falsum
Saepe Jovem geris arma victor.
Indigna Marti thura negas dare
Vinctus catenis; signa dei ruunt,
Mugit solum, delubra nutant,
Attonitum fugit aede vulgus.
Non tu sub antris sole carentibus,
Ubi tuorum millia Caesarem
Secreta fallebant, dolosus
Ferre jugum et tolerare vitam
Cum plebe nudâ: non timidus mori,
Ultro subibas, sacra gementibus
Passim ministrare igneoque
Eloquio populum labantem
Firmare praesens: — O socii, probant
Adversa fortes: dura pati docet
Romana virtus quique nobis
Ferre Deus patiens salutem
Abominato in vertice Golgothae
Eheu! probrosâ de trabe flebile
Funus pependit. Non timenda aut
Atra piis venit hora lethi.
Lethum ad perennis praemia gloriae
Fessos vocabit, templaque caelitum
Promissa pandet, non tyrannis
Non sceleri subeunda foedo.

Lictore pejus Caesaris impii,
Quacumque pejus flagitium nece,
Fortes, timendum: fluxa vita est,
Regna cadunt, bene facta vivunt.
Durate: nobis principium inclyti
Mors est triumphi. Sanguine firmior
Nostro, velut Jordanis almi
Nata sacrum prope cedrus amnem
Quae tangit alto sidera vertice,
Surget, virebit relligio Dei
Terrasque complectetur umbrâ.
Auguror: imperii Latini
Cadent secures, cum Jove Caesares
Dediscet Ister et rapidus Tigris,
Nec Romuli invictas timebit
Thule aquilas; venietque tempus
Cum Vaticanis fulgeat arcibus
Immota et alto Crux Capitolio,
Tibrisque Romanos et omnis
Pontifices veneretur orbis.

II.

O quae veloci Senius loca flumine lambit,
　　O montes vallesque profundae
Et veteres sylvae, nunc vestra silentia tantum
　　Sollicitant rivique loquaces
Et celeres animae Caurorum et frondea pictae
　　Ludentes sub tecta volucres.
Ast olim horrifico sonuistis saepe tumultu
　　Armorum, fontesque liquentes
Potavit bellator equus galeàque comante
　　Mentitus cava pocula miles.
Hìc ubi lascivae tondent dumeta juvencae
　　Et pendentes rupe minaci
Villosi uxores hirci recubansque sub umbrà
　　Dux calamo modulatur amores,
Inclyta Paganae surgebant moenia turris.
　　Hìc fortes Mainardus in ausus

Surrexit, didicitque feras per devia crebro
Venatu vexare fugaces,
Et manibus parvis lethale intendere cornu
Et volucres vibrare sagittas.
Hic saevis validos durare laboribus artus
Assuevit puer arte paternâ;
Mox Jovis hyberni patiens et solis iniqui
Terribili constringere crines
Casside, et armisonas in praelia ducere turmas,
Et quatere hostica moenia bello.
Sic urbs quam riguâ convalle volutus amoeno
Vatrenus praelabitur amne
Submisitque viro turrita Faventia fasces,
Et praeruptis montibus arces
Impositae dominum coluere atque oppida centum
Late armis opibusque potentem.
Tunc praefixa gravi librare hastilia ferro
Cura Italae fuit apta juventae,
Tunc spumantis equi gressus torquere superbos
Aut cursu praevertier Eurum,
Tunc rigidâ impavidum loricâ claudere pectus
Et putri concurrere campo
Adversis hastis mediâque in pace cruenti
Mavortis simulacra ciere.
Tunc non pavisset nudos muliebriter enses,
Non venalis militis ora,
Non conjuratis tormenta coempta tyrannis.
Nunc horrescit mollior aetas

Dura patrum studia: Ausoniae nunc optima pubis
Pars somno devincta beato
Torpet in occiduum solem, dum curvus arator
Cum tauris insudat herili
Jam fessis sulco, nocturnaque tempora gaudet
Attonitis vigilare theatris,
Et blandae pedibus mimae linguaeve spadonis
Largiri cum plausibus aurum.
Heu, frustra dilecta diis Saturnia tellus!
Quid speras? quae fata parantur?

III.

Jam sol Iberis tingere fluctibûs
Parat jugales; excutiet manu
Nox pocula, et lusus amantûm
Et vigiles dirimet choreas.
Cras tibiarum flamina et ebrii
Cantus silebunt; cras minitabitur
Horrenda de rostris severo
Fata supercilio sacerdos.
Quid lacrymosae, o laetitiae pater
Jucunde, tecum est, Bacche, Proserpinae?
Tu das metum curasque ventis
In Cyprium mare ferre et atra
Cum fabulosis Tartara manibus.
Myrto et corymbis tempora nectite:
Nunc orgia et lusus, amici,
Nunc thyasos geminare tempus.

Cur laeta cessant cymbala? Quis vocat
Flavo huc decentem crine Lycorida et
Lyden protervam? Ferte vina:
Dum loquimur, fugit hora praepes.

IV.

Audite vatem: nascitur Italo
Caelo serenum sidus. Ades, diu
    Optata libertas, et atrae
        Servitii fugiant tenebrae.
Non prisca virtus Itala concidit;
Jam te nivosis ortus ab alpibus
    Rex amnium, te pulcher Arnus,
        Te Veneti fremitus leonis,
Te cum beatis Parthenope insulis,
Te Roma concors et Latium vocat:
    Tandem o ades, sanctumque ponas
        Imperium sine caede victrix.
Quod si resistat barbaricus furor,
Non non timebunt millia fortium
    Pugnare pro te, pro pudicis
        Conjugibus puerisque et aris:

Mucronis iram non semel Itali
Sensere terga et pectora Teutonûm.
Fortes (sed eheu non tibi non
Pro patriâ!) cecidere in armis
Dudum parentes; testis Iberia
Moschique valles et Scythicum gelu:
Nonne audeant majora nati?
Eugenii generose sanguis
O rex sonantis Eridani, tibi
Fatis secundis Italiae data
Cura; omnium te vota spectant:
Aera canant, sacra pande signa.

V.

Indignus heres nominis Itali
Audire quisquis non amat, otium
Imbelle dementisque Iacchi
Illecebras Venerisque vitet.
Sudore honesto, non muliebriter
Lasciva stillet malobathro coma;
Non scena rugoso spadoni,
Non videat dare thura mimae.
Discat pudicae conjugis immemor
Noctes iniquo sub Jove ducere,
Et fervidum solem et nivalis
Vim Boreae pluviasque temnat.
Regumne somnis invidet horridus
Venator? altis qui sylūis aprum
Turbâ canum insectante stravit
Et jaculo citiore ventis;

Mox fessa ponit membra sub ilice
Ad fontem amicum, dum volucrum sonant
Arbusta cantu, dum loquentes
Sollicitat levis aura frondes.
Duret decorae membra laboribus
Palestrae et acris militiae puer;
Non palleat saevi cruentum
Martis iter faciemque lethi.
Discat severam pauperiem pati,
Et morte pejus dedecus horreat:
Vulgo eximit virtus merentes
Et rutilâ beat arce caeli.
Pronâ supremum mente coles Deum;
Quodcunque rerum gesseris, auspicem
Deum vocabis: impiorum
Vota cadunt rapiuntque venti.
Sic clara crevit Fabricii et Curî
Virtus, et heros qui sibi viscera
Discerpsit occurritque morti
Romuleae impatiens ruinae.
Sic fas vetusto servitii jugo
Collum jacentis solvere patriae:
Aurora, dî tandem! renidet
Nuntia io melioris aevi.
Perstate coeptis fortibus, Itali:
Est una cunctis patria, nec Deus
Nos cinxit imprudens tremendis
Alpibus indomitoque fluctu.

VI.

Frons non conscia criminis
    Curis et nebulâ tristitiae caret.
Quid vitae metuam integer?
    Crinem cinge hederâ tu quoque simplici, et
Vati funde merum, puer.
    Fugit tristis hyems; tempus amabile
Duxit laetitiam et sitim.
    Alludunt Zephyri floribus obviis,
Vernant in sylûis aves.
    Hìc molli insideam gramine sub novâ
Procerae platani comâ;
    Pendebit veteri barbitos ilice,
Et qui fons prope murmurat
    Alto desiliens pumice, fervidum
Restinguet Bromium. Puer,
    Eja, rumpe moras. Tres cyathos petit

Qui pulchras Charites amat,
    Qui doctam sobolem Mnemosynes, novem.
Misce ter tria pocula,
    Nam praeter Charites Pierides amo.
At ne deliciae deûm
    Laevo me videant lumine Gratiae,
Rursus tres cyathos petam:
    Invisus fieri non ego dls volo.

VII.

Quae sontis super impià
    Cervice immineat poena Lecomtii,
Nuper qui potuit tuo
    Intentare necem, Gallia, principi;
Quantum infensa Poloniae
    Late flebilibus saeviat oppidis
Ferro et fraudibus effera
    Germanûm rabies, quaerere distuli:
Nunc curis vacuum juvat
    Insanire mero. Ferte apium et rosas
Et ciboria commoda,
    Dum testae veteri dimoveo picem.
Eja, cymbala concrepent,
    Argutoque canat tibia spiritu.
Quid cessas, citharae sciens
    Et cantus Pholoë? Lydya, quid sedes?

Jacta brachia cerea
    Et blandis volucrem fer choreis pedem;
Attollat strophium manus
    Flaventesque humeris involitent comae
Lascivis Zephyris jocus.
    Inter sanguinei funera gaudeat
Martis miles et hosticâ
    Tingat caede manum: me juvet, o bone
Liber, muneribus tuis,
    Sic vinctum Idaliis tempora floribus
Sic laetis medium choris,
    Sub lentâ innocuum vite madescere.

VIII.

Pax, Dei casto dea nata risu!
Nata caelestes habitare sedes,
Nata mortales recreare turmas,
Candida virgo!
Cum super rerum tenebrosa vivax
Semina aeternis agitata rixis
Et per exleges volitavit undas
Numinis aura:
Tu prior caecos cohibere motus:
Constitit tellus, liquidumque caelum
Flammaque eluxit vitreusque jusso
Litore pontus.
Te dies et nox, et iter stupente
Sol gigas tendens per inane caelo,
Te deam primis coluere fulva
Astra choreis.

Mox in Edenis dominae viretis
Fraena concordes subiere tigres
Sponte, et insontes tetigere linguâ
Crura leones.
Sed simul patrum furor heu! superna
Jussa contempsit, fugiente pennâ
Deseris culpam; Deus a scelestis
Ora retorsit.
Tunc in incestas lacrymosa terras
Lugubri primum vice poena venit
Et dolor pallens, faciesque lethi
Terruit orbem.
Tunc truces irae rabiesque belli
Callida in caedes acuisse ferrum;
Et rudes flendo rubuere fratrum
Sanguine glebae.
Nec prius nostras remeare sedes
Ausa, quam culpas homicida fluctus
Obruit, justusque Nöe superbi
Aequoris exsors
Supplices aras posuit Deumque
Rite cum castis pueris vocavit;
Tunc enim affulsti redimita sanctos
Iride crines.
Nunc quoque es (postquam gemuit cruento
Golgotha inferni domitor tyranni,
Impiis caelum patiens pacisci
Funere seclis)

Lenior nostris precibus moveri.
Alma Pax, salve: tibi ridet aequor
Et ferax tellus placidumque puro
Lumine caelum.
Faustitas ultro comitatur, ultro
Aurei mores et amica virtus;
Otium felix praeit et benigno
Copia cornu.
Qua pium ostendis, dea pulchra, vultum,
Exulant irae et trepidi tumultus;
Non pavent hostes et abominata
Praelia matres.
Ast ubi dextris micuit nefastis
Prompta fraternam bibere hasta caedem,
Aufugis casto lacrymosa velans
Lumina panno.
Nunc tibi flavo pater amne Tybris
Hospiti plaudit, Latiumque felix
Spe novâ gestit neque fabulosum
Invidet aurum.
Regibus major propiorque Divis
Qui Palatinas tenet altus arces
Remque Romanam, pia te capessit
Auspice sceptra.
Imperes longum, date Rex benigni
Numinis nutu, bene qui beatum
Aureae regnum Pater auspicaris
Omine Pacis.

Imperes longum, redeasque ad astra
Serus: hoc felix populus Quirini,
Hoc procul justos venerata Divos
Oppida poscunt.
Perge moliri nova : nil volenti
Arduum et regi. Favet aura velis,
Aequora arrident et amica caelo
Astra sereno.
Tuque Pax, Divûm atque hominum voluptas,
Crebra candenti venias, precamur,
Italas urbes dominamque Romam
Visere curru.

IX.

Dive, cui celsi nemorosa parent
Saxa Titani veteresque turres
Nesciae regum, facilis tuorum
Annue votis.
Consciâ lustrat tua luce templa
Sol libens, longe speculata canos
Adriae fluctus dominasque amoeni
Aequoris urbes,
Dum tibi festam pia plebs ad aram
Annuos gaudet celebrare ritus
Et tuum donis precibusque supplex
Numen adorat.
Hae tibi in vitâ placuere rupes
Aviae vulgo tacitaeque sylvae:
Huc inops tendis faber et paternae
Immemor Arbae.

Hinc suae legit Fidei magistrum
Ille qui summis Deus ima mutat:
Fulminas linguâ, cadit Arianae
Spiritus hydrae.
Asperum parvo tolerare vitam,
Sedulum sancti sine labe moris,
Dia te virtus, Pater, hinc beatis
Intulit astris.
Si tuas donis cumulamus aras
Sole devotam referente lucem,
Si sonant laudes redolentque blandi
Thuris honores,
Ad tui numen cineris recumbat
Tuta libertas, vigeatque in aevum
Carior sceptris, nec avara regum
Sentiat arma.
O Sator rerum, tibi fulva trino
Sidera atque uni, tibi juge carmen
Concinat tellus, tibi belluosi
Marmora ponti.

X.

Montani horrisono saltus Aquilone laborant,
Udoque tristes Jupiter
Parturit axe nives.
Jam pigrae tempus riget illaetabile brumae;
Quae prata olebant floribus,
Cana pruina tegit.
Tune coles gelidas Argèi Tyburis arces,
Dum pervicaci frigore
Saeviet acris hyems?
Eripe te, Francisce, morae: juga vere revises
Lucosque amoenos Catili
Et sonitum Albuneae.
Roma vocat, Roma hyberni vix conscia caeli,
Roma invidenda gentibus,
Rege beata **PIO**.

Rege **PIO**, fugit scissâ discordia pallâ
Gaudensque cognatâ manus
Tingere caede furor.
Merserunt veteres Lethaea oblivia culpas;
Caelum revisit Italum
Exul, iniqua cadunt
Vincula tortorum longi male conscia fletus.
Insistit Urbi candidis
Pax bona vecta rotis,
Cui plausere sacri Romana per oppida vates,
Late beatis gentibus
Otia tuta ferens.
Virgo redit caelo legesque recudit in aurum;
Migrant ad oras Tybridis
Pallas et Aonides.
Quando erit, ut Thusci relegens vada caerula ponti
Et mente ventis praevolans
Ipse quoque adveniam
Jam non Romuleis ignotus moenibus hospes,
Sacroque fulgentem colam
Principis ore Deum?
O regum rex, Ausoniae spes inclyta gentis,
Quo sol nihil majus potest
Cernere vel melius,
Ah! ne terrigenûm votis te tollat iniquum
In fulgidas Caelestium
Ocyor aura domos!

Neu PATER ET PRINCEPS populis contemne vocari,
DUX AUREORUM TEMPORUM,
URBIS ET ORBIS AMOR!

XI.

Amice Laurens, quid faciam? Nive
Nunc arva squalent et viduae comâ
    Quercus; acutum frigus affert
        Et volucres Aquilo procellas.
Audis, ut acri janua murmuret
Perculsa vento? Laetitiam placet
    Accire flammis et Lyaeo:
        Adde foco, puer, adde ligna.
Capaciorem mox cyathum feres,
In quo renidens e pelago Venus,
    Stupente Tritonum catervâ,
        Purpureo fugat ore nimbos.
Sic dissoluto frigore, Daunio
Dicam supremum pectine Principem,
    Cui laeta per magnos ad astra
        Gloria sternit iter triumphos;

A quo renascens auspice saeculum
Poscit vocari, sidus et aureum
    Quod nuper arcanis oberrans
        Uranie domibus retexit.

XII.

Virgo, cui Delos nemorosa servit
Et nigrâ frondens Erymantus umbrâ,
Laeta cum Nymphis celeres sagittâ
Sternere cervos,
Non vides ut sol domuisse brumam et
Horridam frustra glaciem laborat?
Ut nives regnans Boreas sereno
Flamine verrit?
Nunc in algenti lepores cubili
Signa nocturno pede licta rimans
Sordidus fallit miserâque gaudet
Caede bubulcus.
Improbas arce, bona Diva, fraudes:
Advoca huc Afris dominantem arenis,
Qui nivem pellat glaciemque canis
Montibus Auster.

Turba venantes tua te precamur;
Queis ubi saltus liceat per altos
Cum vagis longe catulis ferarum
Quaerere lustra,
Multa pendebit tibi praeda sacrae
Brachiis pinus, lepores cruenti
Et leves damae, caput et minacis
Dentibus apri.

XIII.

Ultro Calliope virtutem ad sidera tollit
Et vivaci lumine vestit;
Si quem non puduit fortunae auroque superbo
Mendaci blandirier ore,
Non dea, non oculis Phoebus pater aspicit aequis,
Nec patitur discedere vulgo.
Non quae casta tibi, princeps, premit infula crines,
Non Romani muricis ardor,
Sed veniet dicenda sacrâ testudine virtus.
Haec animum tibi laudis amore
Incendit puero, et docuit penetrare repôstas
Quas habitat sapientia sedes,
Sidereis divûm domibus contermina regna.
Haec firmi tibi pectoris arce
Stat, velut alpinis in cautibus edita quercus
Frustra Euris luctantibus icta.

Haec te, fida comes vitae morumque magistra,
Ad fastigia duxit honorum.
Sic nedum late Latii felicibus oris,
Sed longe quoque didita fama
Quo Ligur audaci prior abiete nauta tetendit
Indomiti trans aequoris iram.
Jure Quirinali rutilas in murice primus
Dante **PIO**, quo rege beatis
Laeta adeo Ausoniae populis aurora refulsit.
Jure tui prope litus amoenum
Vatreni tibi luxuriat seges aurea laudum,
Cui Pindi vocalibus antris
Demissae blandis alludunt flatibus aurae.
En laevi quae risit alumno,
Deproperat sacro tibi serta recentia monte
Et strepitum fidis excitat almae
Calliope regina: tuum, pater, undique nomen
Ludicra reddit vocis imago.
Audiat et pelago longe dominata sonanti,
Cui magnum decus adderis, Ancon;
Audiat et Tiberis plaudens, et Maximus Ille,
Quem terris bona fata dederunt
Otia praesentem revocare decusque Latinum
Et prono succurrere saèclo.
Dii, sanctum servate Ducem, servate Parentem,
Attonitus quem suspicit orbis;
Et si qua Italiae caelum turbare serenum
Tempestas minitetur ab Arcto,

Ah, prohibete! Satis miseranda per oppida pridem
Discordi face saeviit atra
Tisiphone: satis et lacrymis et sanguine crimen
Fraternae purgavimus irae.

XIV.

O dulcis aevi, Loyside, comes!
Mecum superbi relliquias Latî
Jam laete vel Praeneste apricum
Visere et Albuneae sonantes
Lucos et udi moenia Tyburis,
Vel parricidae Telegoni juga
Qua vexat imber Tulliani
Eloquii memores ruinas:
Alis superni luminis invia
Si crevit arbos, decolor et sui
Oblita squalet languidâque
Tangit humum moritura fronde:
Si qua diurnis sit radiis via,
Confestim amicis obvia brachiis
Assurgit extollitque frontem
Et viridi induitur juventâ.
Sic nostra longum mens jacuit gravi
Moeroris umbrâ: luce novâ modo
Favente surrexit, decoros
Aonidum meditata foetus.

Quid non sereno lumine tangitur
Virtutis almae, cui Deus imperî
Dat fraena supremasque claves?
Quae cupidum recreavit orbem,
Ut post furentes Iris amabile
Ridens procellas, pictum ubi turbidis
Sub nubibus protendit arcum.
Luce frui propiore detur!
Audebit olim non nihil Italo
Fortasse dignum nomine, te sonans
Rex, Italûm tutela praesens,
Imperii columen labantis.
Quae Vaticanis regnat ab arcibus
Virtus, Camoenae munere non eget,
Jam culta qua sol fessa magno
Fonte lavit juga, qua resurgens
Illustrat Indos; gemma sed aureae
Inclusa lamnae pulchrius enitet,
Seu fulgor ardentis pyropi,
Seu viridis pretium smaragdi.
Mars delet urbes regnaque; proruit
Injurioso longa dies pede
Stantes columnas, et ruinis
Iliacae posuere famae
Cubile inultum cum catulis ferae;
Sed vivit Hector, Maeonii tubâ
Vatis, paternum decolorans
Argolicâ Simöenta caede.

XV.

Perculsa iniquo heu! funere patrui
Laetis Thaliae temperat a modis
    Moeretque mens dudum; ut caduco
        Usta caput Jovis igne quercus
Non motâ ad auras obloquitur comâ,
Cantu vagarum non avium sonat,
    Non hospitalem praebet umbram
        Jam gregibus ducibusque notam.
Decussit alas praepetis ingenî
Fortuna, pridem non timidas sequi
    Qua Daunius nubes opacas
        Spernit olor superante pennâ.
Me, Jane, moestae tangere barbiti
Nervos silentes? Non glacies iners
    Fert purpuram florum, nec asprae
        Pampineos pariunt racemos

Dumeta sylvae. Te nova Felsinae
Lux, Jane, Thuscae te chelys arbitrum,
Fortuna cui ridet favetque
Non sine dîs popularis aura,
Audere plectro magnum aliquid decet,
Laudes et alti Pontificis loqui,
Quo rege non tellus beata
Sedibus invideat deorum.

XVI.

Si, Diva, tangunt vota te mortalium,
Si thura cum blandà prece
Et agna casto altare tingens sanguine
Novis revinctum floribus,
Adsis poëtae quo superbit Felsina,
Opemque praesens afferas.
Solve o tremorem, saepe qui praecordia
Pertentat et nervos quatit,
Et pelle vim sequacis aegrimoniae
Somni invidentem munera
Mundaeque mensae. Dulce quicquid auribus
Edunt amoenis collibus
Lymphae sonantes et leves Favonii
Apesve quaerentes thyma et
Linguae volucrum, pulchra Diva, collige;
Subque humidae silentia

Amica noctis, vatis indens sensibus
        Artus jacentes irriga
Sopore leni: pristinus membris vigor
        Fervescat et genis color.
Tunc dedicato rite laeta numini
        Grates rependet Felsina;
Rependet aureae deus testudinis
        Potens et almae virgines
Quorum choreis et resultant cantibus
        Serena Pindi culmina.
Ipse ipse vates Italâ sospes tibi
        Carmen sonabit barbito,
Votis precantûm et thureis odoribus
        Sertisque florum carius.

XVII.

Dilecte Achilleu! sat lacrymis datum
Et dulcis umbrae conjugis, heu breve
Post gaudium fatis ademptae!
Quam niveae similis columbae,
Unum pudici delicium thori,
Secuta mox est nata volentibus
Alis. Quid in terris beatum?
Cui violens Libitina parcit?
Quam non cruentat funeribus domum?
Moerore mersit me quoque non levi,
Dum patruum longe heu! paternis
A laribus nec opina tollit.
Luctum sodali divide cum pio:
Commune damnum fit levius. Tibi
Deleniat Pallas dolorem,
Me recreet fidicen Apollo.

Audi vocantem: cur Siculâ chalybs
Imbutus irâ sub penetrabilis
Mucrone caeli cur quiescit?
Urge opus impatiens morarum.
En militari laesa licentiâ
Collapsa languet conjugis in sinum
Pudica virgo, pacta nuper
Ante sacras Hymenaeon aras.
Spirat juventae magnanimae furor,
Nudantur enses, verberat aethera
Clamor tremendus non inultum
Servitium fore dedecusque.
Quanta insolenti funera militi
Io moventur! millia quot cadent
Non Sequanam visura dulcem,
Vulturiis canibusque praeda.
O grande, pictor, Insubriae decus,
Si dextra venam divitis ingenî
Pennisque Apelleis sereno
Parca tibi dedit ire caelo,
Quicquid Camoenis edidit Itala
Virtus loquendum et lumine gloriae
Dignum perenni, perge sollers
Per memores animare telas.
Sic discat altae praemia gloriae
Non somno inerti non choreis emi,
Et fortium haud indigna avorum
Italiae nova surgat aetas.

ODARUM SERIES CUM NOTIS

LIBER I.

ODE I. *Hymnus in Deum.*
Quem auctor scripsit, ob morbum lecto detentus a. 1841. m. Aprili ediditque subsequenti anno die solemni in honorem Corporis D. N. J. 1841

ODE II. *Hymnus in Michaëlem Archangelum praestitem tutelarem populi Brasighellensis.*
Conditus mense Junio a. 1842. 1842

ODE III. *In Virginem O. M.*
Cujus effigies sacra, ab aede imposita monti Cocliolo supra Brasighellam, solemni pompa quotannis defertur diebus supplicationum statarum uti segetes bene eveniant. *XVI. kal. Oct.*

ODE IV. *Hymnus in Crucem sacrosanctam.*
XII. kal. Febr. 1843

ODE V. *Ad Josephum Zacchiam, domo Serezana, Praefectum Urbis, inter Patres Cardinales adlectum.*
Administratione provinciarum Ravennae, Asculi et Phrusinonis aliisque muneribus splendidissimis egregie functus Zacchia cooptatus est inter XII. Viros Sacri Consilii litibus judicandis, unde ad praefecturam Urbis evectus fuit. Ad haec praesertim attingit ode; quam auctor confectam m. Junio a. 1843. typis vulgavit biennio post dicavitque Viro E. nomine etiam Josephi - Joannis - Mariae et Antonii - Mariae fratrum suorum.

ODE VI. *Ad Marium Hieronymum Legam popularem suum.*

Hujus odae et caeterarum argumenta quae amatoria sunt, juveniliter ficta esse scito stili exercendi caussa. *XI. kal. Aug.*

ODE VII. *In dedicationem novae Aedis Fratrum Franciscalium Capulatorum apud Bononiam.* *postr. kal. Aug.*

ODE VIII. *Ad pratum.*

Argumentum fictum. *X. kal. Sept.*

ODE IX. *De Petro Signanio presb. populari suo.*

Quo puerulus custode, ephebus amico usus est auctor, sed brevi; nam obiit a. 1831 aetatis XXV. dignus honestâ memoriâ ob acre ingenium, pietatem et morum suavitatem plane singularem et bene auspicatum poeseos latinae studium.

postr. non. Sept.

ODE X. *In obitu Joannis Baptistae Utili Brasighellensis.*

Qui vita functus est XIII. kal. Oct. hoc anno aetatis suae XLIV. *XII. kal. Oct.*

ODE XI. *Amicos literarum studiosos invitat ad celebrandum natalem Dionysii Strocchii Eq. poetae clarissimi.*

Qui natus est VIII. id. Jan. *XVI. kal. Nov.*

ODE XII. *Ad Eduardum Fabrium Caesenatem V. C.*

Commendat auctor virtutem Francisci Livirani gentilis sui, quem Ferdinandus I. Mediceus M. D. E. centuriatu decoratum sibi custodem lateris adscivit; postea adversus Turcas cum copiis auxiliaribus imperatore Virginio Ursino Duce Brachiani in Pannonias misit; ubi alae equitum praefectus cum Ursinum a Turcis

captum abduci vidisset, impetu cum turmalibus facto eum liberavit, suumque in equum subjecit, quo fuga incolumis evaderet. Sed dum ipse pedes fortiter pugnans hostes aliquandiu sustinuisset seque ad suos jam reciperet, a Turcarum manu circumventus obtruncatusque est. Egregium hoc facinus a Franc. M. Salettio in commentariis rerum Brasighellensium memoriae proditum fuit. prid. id. Nov.

LIBER II.

Ode I. *De laudibus LEOPOLDI II. M. D. E.*
prid. id. Dec.

Ode II. *Hymnus in Nicolaum Pont. Myr. caelestem patronum studiosae juventutis.*
V. kal. Jan.

Ode III. *Ad Franciscum Consolinium Brasighellensem.* *kal. Jan.* 1844

Ode IV. *In natalem suum.*
Natus est auctor id. Jan. a. 1815. *VII. kal. Mar.*

Ode V. *In Josephum Ragusam, oratorem egregium ex Ordine Franciscalium Atratorum, sacras conciones per majus jejunium Brasighellae habentem.*
VII. id. Mar.

Ode VI. *In Chloën.*
Argumentum fictum. *IV. id. Mar.*

Ode VII. *Palinodia odae superioris.*
prid. id. Apr.

Ode VIII. *In quercum.*
De qua mentio in ode VIII. Lib. I. XIV. kal. Maj.

ODE IX. *Ode Anacreontica in adventum veris.*
IV. kal. Maj.

ODE X. *Hymnus in Maximam martyrem quinquennem, domus Liviraniae patronam.*
Cujus corpus cum phiala sanguinis ab Aloisio Paulucio Calbulo March. Foroliv. dono accepit Joannes-Thomas archipr. patruus auctoris.
postr. id. Maj.

ODE XI. *Dithyrambus.* *III. non Jun.*

ODE XII. *Ad Apenninum et fontes Anemonis.*
Hanc odam itemque X V. quae subsequitur, auctor cogitavit, dum nocte intempesta Apenninum superaret, Florentia ubi m. Augustum consederat, domum rediens. — Germani equites adventitii qui a Com. Lando ducti Italiam terrore et cladibus consternaverant et magna cohors *vel ob numerum vel ob metum appellabantur, a.* 1358. *Marradium inter et Apenninum caesi profligatique ab incolis sunt, uti fuse Math. Villanius in hist. Flor. cujus facti nuncio allato propiores civitates publica laetitiae signa praebuerunt. Inde occasionem nactus auctor damna adumbrat Italiae ab exteris militibus alias illata, praesertim a.* 1527. *ab Hispanis et Germanis qui urbem Romam crudelissime diripuerunt, postmodum vero a Gallis sub exitu superioris saeculi. In quos vehementer insurgens et jugum exterorum, quod pessimum est servitutis genus, detestatur, et Italos monet libertatem patriae etiam bello et morte defendendam et vindicandam, juxta Tullium qui in peroratione Philip. II. servitutem esse ait* postremum malorum omnium non modo bello, sed morte etiam repellendum.
III. non. Sept.

ODE XIII. *Ad Chloën.*
Argumentum fictum. Quae hic et alibi deinceps

offendes quae arrogantiam olere videantur, ea, lector, meliorem in partem pro humanitate tua interpretator, neve superbiam ascribito: non enim ex animi sententia, sed juveniliter et poetice dicta. *id. Sept.*

ODE XIV. *In rosam lusus Anacreonticus.*
XIII. kal. Nov.

ODE XV. *Reditus in patriam.*
Videsis annotata superius ad odam XII.
III. non. Dec.

ODE XVI. *In adventum hyemis ode Anacreontica.*
III. id. Dec.

LIBER III.

ODE I. *De Thoma Liviranio duce equitum.*
Eum Salettius in suis commentariis illustrioribus militibus annumerat, narratque, ad idem bellum Pannonicum quo sub Ursinio Franciscus aequalis et consanguineus (de quo ode XII. L. I.) profectum esse cum Vincentio Gonzaga Duce Mantuae a. 1595; ubi post egregia facinora luculentum testimonium ab ipsomet Principe per literas patentes indeptus, tandem in acie cecidit. In procinctu reliquerat uxorem et filiolum unicum, anniculum, nomine Dominicum, qui adhuc florente aevo nobili Faventinorum civitate honoratus est; cujus trinepos est auctor. *prid. id. Dec.*

ODE II. *Ad Apollinem votum pro Georgio Antonio Morinio presb. Favent. rhetore.*
XVIII. kal. Jan.

ODE III. *In obitu ejusdem, ad Joannem Forlivesium Fav.* *id. Jan. a.* 1845

ODE IV. *In obitu Julii Metelli Brasighellensis, ad Antonium filium.* *VI. id. Feb.*

ODE V. *In adventum veris ode Anacreontica.*
XI. kal. Apr.

ODE VI. *In Mariam Opiferam, Brasighellae et Vallis Hamoniae patronam hymnus.*
Sub exitu carminis mentio fit de nocturno terraemotu quo pridie non. Ap. a. 1781. *labes multis in locis factae et ingens terror incussus. prid. kal. Ap.*

ODE VII. *Ad puellas populares.* *V. id. Apr.*

ODE VIII. *De Joanne Maria Liviranio strenuo adolescente.*
Is a. 1617. *aetatis suae XVI. ad bellum Fori Julii quod Veneti in Archiducem Austriacum gerebant, ab Joanne Mediceo Kosmi I. filio, Venetorum imperatore, accersitus est et mox vexillarius datus CC. cataphractis quibus praeerat Roncalia Eq. Bergomas: quo munere sex menses functus, laboribus bellicis confectus obiit in castris Reip. ad Sonitum fl. apud Gradiscas.*
postr. id. Mai.

ODE IX. *Ad Jacobum Gräberg de Hemsö V. C. Com. Eq. Cubicularium itemque praefectum bibliothecae M. D. E.*
Ode missa ab auctore ad sodales litterarios Florentinos qui Columbarii *nuncupantur in quorum coetum per id temporis cooptatus fuerat.*
prid. kal. Jun.

ODE X. *Ad auroram.*
Ducis Cuniadis *nomine designatur gloriosissimus ille barbarorum expulsor Albericus Comes ex dynastis Cunii et Barbiani.* *XVIII. Kal. Sept.*

ODE XI. *Ad Antonium Metellum lusus Anacreonticus.*
Auctoris petitio, officium municipale postulantis,

communibus decurionum suffragiis rejecta recens fuerat; huc attinet repulsa *de qua hic mentio.*
XIV. Kal. Sept.

ODE XII. *Ad Mariam Luciani f. Bonapartem F. C.*
IV. kal. Sept.

ODE XIII. *In natalem LEOPOLDI II. M. D. E.*
VIII. id. Oct.

ODE XIV. *Hymnus in Stephanum Protomartyrem.*
IV. id. Oct.

ODE XV. *Ode satyrica.*
Argumentum fictum. IV. id. Oct.

ODE XVI. *Ad Antonium Metellum historiae patriae scriptorem.*
Brasighellae et Vallis Hamoniae nomen praecipue illustrarunt, post bellicam Naldiorum ducum et peditum popularium virtutem quorum fama ab exitu saeculi XV. increbuit, Joannes Baptista Fenzonius J. C. cl. a Consiliis Imp. Caes. Aug. Senator Urbis sub Paulo V. P. M. dein Augustinus Galaminius et Bernardinus Spada in collegium Cardinalium alter a Paulo V. alter ab Urbano VIII. adlecti. m. Nov.

ODE XVII. *Ad Casalinum, sedem majorum suorum.*
A Livirano, fundo in valle Marzeni apud Mutilianam (unde genti quae ibi sedem et dominatum per aevum immemorabile habuerat, cognomen inditum) Andreas, *Michaelis f., regnante Leone X. Casalinum transmigravit; qui fundus est in eadem valle sed inferius situs in ditione Pont. Rom. et agro Brasighellensi ad radices montis Ceparani. Atavi ejus guelphis studuerant, et cum Durante Donio Mutilianense concitata seditione expulsoque tyranno, Galeocto ex Comitibus Guidiis dynasta, ghibellino acerrimo, libertatis patriae post servitutem saeculorum fere quatuor auctores et vindices se*

praestiterant: quod post facinus, administrata aliquandiu populariter republica, municipium in fidem et tutelam Reip. Flor. quae a guelphis gubernabatur, traditum est, legato propterea Florentiam eodem Durante a. 1377. *ex decreto decurionum, inter quos Liviranii duo. Ipse vero Andreas neque militiae neque munerum publicorum expers fuit: quippe qui exemplum secutus Prioris et Salomonis agnatorum qui pro Rep. militaverant in bello a conjuratione Paetiana coorto, stipendia in Pisano adolescens meruit a.* 1503. *una cum Lazaro patruo et Batassino consanguineo: quoad autem publica munera, inter decuriones Mutilianenses a.* 1513. *adlectus fuerat, vivo adhuc patre qui in honoribus municipalibus per quadraginta annos versatus, fuit postremo Praeses ordinis seu* Vexillifer Justitiae, *a.* 1517. *Decurionatum autem Brasighellae et Vallis Hamoniae consecutus est ineunte* 1536; *quam dignitatem filii ejus posterique continenter gesserunt quoadusque subverso per Gallorum irruptionem veteri rerum ordine in Petro-Paulo avo auctoris desiit. Masculos filios sex reliquit; ex quibus* Bernardus *natu quartus qui uxorem duxerat Joannam Pasiam matronam Faventinam, profectus est a.* 1569. *ad bellum Cyprium ducenarius in peditatu Venet. habuitque signiferum Paulum, Salomonis fratris sui natu maximi filium. Is hoc carmine commemoratur post* Thomam, *alterius fratris natu scilicet secundi filium (de quo superior Ode I.) itemque post* Salomonem, Joannem *et* Joannem-Mariam *fratres, Pauli filios, patricios Faventinos. Qui Salomon Prot. Ap. post alia honorificentissima officia, mandante Antonio Barberinio Card. Urbani VIII. fratris filio, cui acceptissimus fuit, vicaria legati potestate Avenionenses per octo annos rexit. Joannes autem qui a Ferdinan-*

do Gonzaga Card. Duce Mantuae accitus a. 1613. *cohorti peditum praefuerat in expeditione Montis Ferrati adversus Ducem Sabaudicum, fuit postea commilito Joannis-Mariae fratris germani (de quo ode superior VIII.) in bello Fori Julii, magnisque honoribus habitus est a Joanne Mediceo imperatore qui ei et centuriatum et officium legati exercitus turmaeque cataphractorum ductum detulit. prid. non. Dec.*

ODE XVIII. *Ad Jesualdam Liviraniam se Deo devoventem.*

Haec ode scripta id. Dec. edita fuit deinceps cum hoc titulo — A. 1846. *VII. Id. Junias. Quo Die Sacro Trinitati Augustae Jesualda Pauli F. Livirania Forocorneliensis Religiosam Disciplinam Rite Amplectitur In Collegio Fugnanensi Virgg. Dominic. Florentissimo Auspiciis Et Tutela IOANNIS MARIAE MASTAI CARD. Archiep. Ep. Forocorn. Petrus-Paulus Et Antonius-Maria Livirani Frr. Viro Eminentissimo Devoti Animi Ergo.*

LIBER IV.

ODE I. *Hymnus in Stephanum P. M. Mart. populi Mutilianensis patronum caelestem.*
Missus ab auctore ad Angelum Maium Card. *Virum cum dignitate tum doctrina eminentissimum.*
XVII. kal. Jan.

ODE II. *In castellum Paganum.*
Quod Mainardus Paganius ghibellinorum in Aemilia princeps saeculo XIII. ejusque avi possederunt. *XVII. kal. Mar.* 1846

ODE III. *In exitum bacchanalium lusus Anacreonticus.* *V. kal. Mar.*

ODE IV. *Vota pro libertate Italiae ab exteris vindicanda.* *VI. id. Apr.*

ODE V. *Ad Italos, de liberis instituendis.*
XVII. Kal. Mai.

ODE VI. *Anacreontica.* *IX. kal. Mai.*

ODE VII. *Item Anacreontica.* *IX. kal. Jun.*

ODE VIII. *In Pacem hymnus, desinens in laudes PII IX. P. O. M. regnum felicissime auspicati.*
Typis editus Kal. Aug. *VI. kal. Aug.*

ODE IX. *In Marinum Diac. Reip. Titaniae auspicem et patronum hymnus.*
Ad Bartholomaeum Burghesium Eq. V. C.
VII. id. Sept.

ODE X. *Ad Franciscum Liviranium Forocorneliensem, in Tyburte commorantem ode de laudibus PII IX. P. M.* *IX. kal. Dec.*

ODE XI. *Ad Laurentium Donatum Liviranium Adv. Urb. Francisci fratrem, lusus Anacreonticus.*
Astrum nuperrime repertum a Leverrerio et Neptuni nomine appellatum, sophi praesertim Itali (uti per ephemeridas litterarias nunciatum) maluissent Pium *nuncupari.* *XVIII. kal. Jan.*

ODE XII. *Ad Dianam votum venatorum.*
XIII. kal. Jan.

ODE XIII. *Ad* Cajetanum Baluffium, *domo Ancone, Card. Archiep. Ep. Forocornel.*
Recitanda in solemni conventu sodalium litterariorum Forocorn. habito in honorem V. E. quem virtute doctrinâ scriptis, vel poëticis, et rebus bene gestis, praesertim in legatione apud Respublicas Americae, insignem PIUS IX. primum omnium Romanâ purpurâ decoravit.
VII. kal. Mart. a. 1847

ODE XIV. *Ad* Aloisium *ex Comitibus MASTAI FERRETTI* Principem, *PII IX. P. M.* Fratris Filium.

Quicum auctor, Romae studiorum caussa degens, consuetudinem iniit, iterque per Latium et oppida finitima ineunte vere a. 1835. *suscepit eruditionis studio.* *VI. kal. Apr.*

ODE XV. *Ad Joannem Marchettium Com. Eq. poëtam clarissimum.*

Joannes-Thomas, patruus auctoris, archipr. Brasighellensium hoc ipso anno, aetatis suae LXIX. m. Aprili improviso interitu extinctus est Faventiae. *V. id. Jun.*

ODE XVI. *Ad bonam valetudinem votum pro Paulo Venturinio Barnabite poëta clarissimo.*

IV. id. Jun.

ODE XVII. *Ad Achillem Calzium Faventinum.*

Consolatur amicum de obitu uxoris desideratissimae quacum biennium vixit et filiolae unicae post menses duos matrem subsecutae; hortaturque ut ab arte sua levamen quaerat. Impraesentiorum enim absoluturus est sculpturam linearem in chalybe, qua graphice effingitur imago picturae nobilissimae, monstrantis exordia memorandae caedis Gallorum a Siculis editae an. 1282. *quod opus ab Hayez Insubre pictore praestantissimo elaboratum juxta historiam Michaëlis Amari, hic paucis adumbratur.* *id. Junii.*

IMPRIMATUR

Fr. P. Caj. Fellettі O. P. Inq. S. O.

IMPRIMATUR

Antonius Bagnoli Pro Deleg. Archiep.